INTRODVCTIO IN ARTEM IESVITI-*cam, in eorum gratiam qui eius artis myſteriis aut iam initiati, aut prope-diem initiandi ſunt, conſcripta*

A GABRIELE BARIACO
LERMEO, NOBILI VOLCA.

Ad venerandos patres Turnoni eam artem facientes.



M. D. X C I X.

TYPOGRAPHVS Chriſtiano lectori, S.

QVVM de nonnullis in lucē emittendis aduerſus Ieſuvitiſmū cogitarem, commodùm mihi oblatus eſt libellus à piæ memoriæ viro doctiſſimo D. Lermæo conſcriptus. Is olim in ſcholis & Ieſuvitarum diſciplina educatus, tandem Chriſti beneficio reuocatus ad ſanam mentem, nouorum Phariſæorum, apud quos diu verſatus erat, artes conſcribere aggreſſus eſt: quas non abſoluit, morte placida ſublatus. Quicquid verò opellæ eſt hoc libello incluſæ, publici iuris facimus, tantiſper dum alia in Ieſuvitas & cæteros Pontificiæ doctrinæ patronos excudenda nobis offerātur. Inter quæ nunc exhibemus, Lermæi ſcripto adiunctas Epiſtolas nonnul-

las, in quibus Ieſuvitarũ priuilegia, varia facta, ſcripta dictáque ſectæ illius ſiue ſocietatis Iudæ ingenium aperientia occurrunt, tibi gratas & vtiles futuras. Quid Ieſuvitæ in Chriſti veritatem & Eccleſias iamdudum moliantur, non ignotum eſt. Sed aderit ſuo tempore Dei Filius, qui laruam iſtis ſuo Sancto nomine ſumma cum blaſphemia abutentibus, potenter detrahet. Interea, non pudebit vel pigebit nos, pro noſtræ vocationis modulo, Ieſuvitarum impetum præli noſtri loricis retardare, gigantibúſque, in Iſraelitarum perniciem armatis faceſſere negotium. Vale, ex typographeio noſtro, pridie Calendas Auguſtas, CIↃ.IↃ.XCIX.

INTRODVCTIO IN ARTEM IESVITICAM,

A Gabriele Bariaco Lermeo, Nobili Volca, Ad venerandos patres Turnoni eam artem facientes.

De nomine artis & ſocietatis Ieſuiticæ.

PLERIQVE non omnino rerũ imperiti artem hanc Gieſiticam ac eius profeſſores Gieſitas appellarunt, nimirum à Gieſi, Heliſei famulo, qui donorum ſpiritualium mercedem à Naamano Syro flagitauit. Quæ etymologia quamuis vulgò nonnullis arriſerit, à quorum agnatis Ieſuitæ munera forſan aucupati erant, à ſanioribus tamen reiicitur, ipſa tum ſcribendi ratione, tum rerum analogia repugnante. Gieſi enim ſibi appetiit munera, quæ magna animi conſtantia Heliſeus aſpernatus erat: at quidquid Ieſuitæ ſuis artibus hinc inde contrahunt, non tam ſibi, quàm Papæ quærere videntur. Adde quòd neque Papa Heliſeo ſatis reſpondet, neque lepram Papa ſanat vllus. Quod enim eſt in fabulis de

Conſtantino ſanato iamdudum exploſum eſt, neque memoriæ proditum munera nũquam recuſaſſe Papam. At contrà eius ſerui Ieſuitæ procul à Gieſi ſordibus abſunt, aurum & opes ſúſque déque habent, vltrò ſui copiam faciunt, operámque ſuam & merita gratis impertiuntur. Alij Ieſuitarum nomen à Ieſuatis monachis repetitum volunt, qui ceu torrentes quidam ſtatim ſub ortum ſuum peſſum ierunt, ex abyſſo rurſus, in quam hauſti fuerant, nouiſsimis hiſce temporibus eruperunt. Alij totidem literis & ſyllabis Ieſuitarum nomen in ſacris libris ſcriptum reperientes, quaſi de ſemine Abrahæ ſatos interpretantur, ſed cauſam ſibi Ieſuitæ cum aliis communem non facilè admittunt. Alij alia commenti ſunt, ſed certè neque à Gieſi Ieſuitæ, neque à Ieſuatis monachis, neque ab antiquioribus illis Ieſuitis fidem Abrahæ ſequentibus, nomen illud ſortiuntur, ſed aliunde omnino, vt ex doctrina ipſorum explicandum eſt. Nam quamuis originem ſuam vulgò cælatam velint, quaſi aut è cœlo repente delapſi ſint, aut è terra, fungorum in morem extiterint, narrant tamen in ſuis myſteriis nomen illud à Ieſu deriuari: Non illo quidem, vt arbitror filio Dei, cuius nomen nulli mortalium ſectæ ſine blaſphemia cõmunicari poteſt, ſed à quodam alio mirabili Ieſu, qui Ignatio Layolæ vertigine correpto, dum Romam proficiſcitur, ſecus viam apparuit, os habitúmque gerens monachi qualem nunc Ieſuitæ circumferunt, ſimúlque vocem hanc dare viſus eſt, *Romæ me videbis*, aut *Romæ ero tibi propitius*

pitius, ô Layola? Quod ſpectrum is cùm ſociis renuntiaſſet, audacior Romam profectus eſt, ibíque eo Ieſu duce & auſpicę artem hanc inſtituit, ab eóque Ieſuiticam denominauit. Eius autem alumnos Romanus pontifex, eius Ieſu, qui ſecus viam apparuit, vicarius, longè deinceps latéque propagauit. Mira hæc nouitas viſa eſt Ieſum extremis hiſce temporibus in monachi ſe dimiſiſſe ſpeciem, ſed ipſa initia ac deinde ſucceſſus multis perſuaſit Ieſu numine ſectam hanc omnino ſuſtineri. Cùm enim Layola, ceu ſpiritalis militiæ quidam imperator, extra ordinem mitteretur, fato quodam contigit, vt duodecim primò ſecum ſodales haberet, quibus ceu duodecim Apoſtolis ſeptus de euertenda mundi facie cogitauit. In illis primis hoc nomen ita inualuit, vt à Luſitanis apud quos illi primi conſederunt, atque inde ad Indos nauigarunt, ad totum ordinem propagatum ſit. Apoſtolos adhuc vocant Luſitani, illúdque proprium Ieſuítis fecerunt: *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Deinde, cùm adhuc de eorum fide Pontifex dubitaret, ad ſexaginta numerum eos coarctauit, vt fato quodam rurſus cum numero diſcipulorum Chriſti æquati viderentur. Quis ergo in his numeris diuinum quiddam non agnoſcat? In illo autem primo ſpectro angeli pręſentiam non recognoſcat? qui ſe cùm vult in lucem induit, qui perditos homines in ipſo deſperationis articulo deprehendere ſolet, ac deprehenſis ſi ſe audiant opem ſuam polliceri? ſic enim Bruto extrema quæque co-

gitanti idem ſpiritus adfuit, verbíſque ſimillimis, viſurum ſe Philippis, denuntiauit, ſed ſorte nonnihil diſpari. Nam Brutus Philippis exitium præſens reperit: Layola Romæ in tabem medicis omnib. incognitam incidit, quæ miſeris & inuſitatis modis eum affectum vix tandem enecauit. Nunc pauca cur ſocietatis nomen cum Ieſu coniunxerint attingenda ſunt, nec enim ratio multis nota eſt. Cùm ſe idem Ieſus, qui ſecus viam apparuerat, Layolæ ſub forma canis ſe aſpectandum præberet, cúmq; emphaſibus horribilibus non rarò percelleret, myſterio id non carere arbitrati ſunt. Itaque ſic ratiocinantes, canem eſſe animal ſociale maximè, animálque, vt ait ille, φιλεσοφώτατον, ſuorum turbam ſocietatem appellandam cenſuerunt, eandémque ob cauſam philoſophiam & Cynicam ita exercuerunt, vt omnes ante ſe homines longè ſuperauerint. Atque hæc de nomine Ieſu & ſocietate Ieſuitica.

Definitio artis Ieſuiticæ.

EST autem Ieſuitica, monachiſmus practicus, à monachiſmo non magis differens, quàm ſpecies à genere: aut teſtudo exerto capite hinc inde prædas captans à teſtudine intra ſuam cochleam victitanti. Definitio hæc tamen non caret inuidia, ab ipsíſque Ieſuitis & monachis ſimul oppugnatur. Ieſuitis indignantibus ſe in idem album cum atratis monachis referri: indignantibus item monachis priuilegia ſua Ieſuitis com-

communicari,à quibus,ceu maiorum gentium epiſcopis in infimum ordinem amandantur,nec enim in Tridentina ſynodo cùm de procdria lis inter patres verteretur, aſsignatum ſibi inter monachos locum,ſuę dignitati parem exiſtimarunt. Itaque Ieſuitas aiunt fluuiatilis cuiuſdam auis eſſe ſimiles, quæ indicto auium conuentu piſcem ſe profitebatur, indicto piſcium cõcilio auis ſe nomine tuebatur. Vrgent igitur vt depoſita tandem perſona ſe monachis aut epiſcopis aſcribant. Illi neutris ſe adiungunt,ſed modò ad hos,modò ad illos diuertunt, amborum vt lubet participes. Nam cùm monachum ſolitudo iuuet & otium, ipſi quoque ſe à populo ſegregant, ne curarum terrenarum contagione afficiantur,ſed in vmbra ſoli per ſpatioſas porticus inambulantes cogitationibus ſuis indulgeant. E diuerſo,cùm Epiſcopi munus actione contineatur, ipſi quoque animi gratia ad populum declamãt, ſacramenta ſua ſanis,ægris, publicè & priuatim ingerentes.Sed quoniam languida nimis videbatur manachorum conditio, ſi ſe toti meditationi dederent,aut odioſa, ſi rerum gerendarum ſatagerent: è diuerſo ærumnoſum nimis & anxium epiſcoporum munus eſſet: ideo medium quoddam & ad felicitatem propenſius viuendi genus placuit, quod laboris ciuilioris & meditationis vicib⁹ temperaretur. Itaque id eatenus attingẽtes quatenus commodum viſum eſt,libera ad meditationem & otiũ tempora ſibi reſeruarunt,ſícque rem geſſerunt, vt inter Epiſcopos ſeſquimonachi,inter mona-

chos ſemiepiſcopi, vtriſque meritò ſuſpecti habeantur. Adde quòd non inertem nauant operam erudiendis pueris, & ad ſuam rationem informandis,atque inter has curas non pauca alia moliuntur. Vnde non immeritò monachiſmo praxin adiunximus ideſt, πολυπραγμοσύνην, cuius cum monachiſmo fermentatura artem conſtituit Ieſuiticam, medullámque doctrinæ Papæ continet. Vt enim medulla alimentum eſt vltimum perfectiſsimè elaboratum, ita hæc vltima monachorum natio vna omnium reliquarum inſtar eſt, ipſiúſque doctrina ſubtilior quidam ſuccus ex omnium antiquorum monachorum regulis delibatus & expreſſus. Etenim monachorum triplex eſt genus, vt item triplex animarum gradus, alij tantùm viuunt vt frutices: alij viuunt & ſentiunt vt beſtiæ: primi ſenſu carentes, ſecundi ſenſu & ratione ſimul: tertij ad humanitatem propiùs accedunt quidem, & ratiocinantur, ſed non emendatè. Tres hos gradus arte ſua Ieſuitæ eximiè complexi ſunt. Nam viuunt vt primi, & vitam longè vitaliorem: ſentiunt vt ſecundi, & ſenſu multò liberiore: ex ſecundis enim hi ſe aſpectu formarum, hi ſe guſtu ciborum orbarunt: vtramque licentiam Ieſuitæ ſibi indulſerunt, vltimorúmque parologiſmis correctis, ex ipſis quod vtile viſum eſt decerpſerunt, ſibi monachos & epiſcopos tanquam regulas Lesbias accommodauerunt.

Huius artis repertor & princeps eſt Layola Hiſpanus, qui pręceptionibus omnibus quæ ad hanc artem pertinent collectis, turbam quan-

dam hominum collegit, iureiurandóque aſtri-ctam ex artis huius præſcripto & formula viuere coëgit. Is primùm miles, mox perfoſſa tibia, belli pertæſus, ad ſcholas literarias, à ſcholis deinde ad peregrinandum ſe contulit, ſemper ſuum finem animo verſans, quod erat, cum dignitate otium. Quem finem licet multi monachi viderent, cò tamen pertingere non poterāt, quin monaſticam deſinerent, hoc eſt, è finibus ſuis in Epiſcopatum exilirent. Vnus Layola ita callidè circunſpexit, vt neque ab eo fine aberrarit, neque finem ſuum tranſilierit. Námque epiſcopatu ad leue quoddam exercitij genus reſtricto, ſimúlque monachatu ex certis illis legibus relaxato, fecit vt intra monachatum conſiſtens piſcopalium commoditàtum potitus ſit, hinc oneris expers, illinc ſæuioris diſciplinæ. Itaque ſicut nonnullis authoribus nonnullarum artium inuentionem acceptam ferimus, quòd primi earum vſum vagantem & dubium certis regulis circunſcripſerunt: ita Layolam ars Ieſuitica laudat authorem, è multis illa quidem monachorum riuulis deducta, ſed ab ipſo Layola ad ſummum adducta. Huic arti naſcenti, quamuis mirabili illo ſpectro niteretur, omnes obſtrepuere monachorum turbæ, atque adeo ipſe Pontifex in ea primùm confirmanda titubauit. Vt enim è pingui ſolo vermiculi, ſic ex illa facilitate temporum ſectæ nouæ & inauditæ quotidie efferueſcebant, quarum ſi numerus vlterius excreuiſſet, propediem futurum erat, vt ampliſſimæ illæ Franciſcanorum familiæ & id genus a-

liæ, Eccleſiæ columen, deſolarentur. Vel certè, vt hominum ingenia à labore procliuia ſunt ad libidinem, tanta multitudo in nouas illas ſodalitates irruptura erat, vt rurſus omnibus ad laborem manuum redeundum foret. Itaque dubitabat Pontifex artem hanc in medium venire, néc-ne, pateretur. Initióque ſanxit ne pluſquam ſexaginta homines eam artem facerent. Callida ſanè cogitatio, tum vt in eo numero artis eius vſum exploraret, tum ſi è re ſua non videretur eam facilè ſupprimeret. Atqui Ieſuitæ, quos earum anguſtiarum iam tædebat, omnes neruos contendere, vt ex iis eluctari poſſent: mirum quàm ſacris ſacramētis ſuam fidem ſuáque corpora deuouerint, quáque fronte ſupra-monachalem ſuam audaciam commendarint. Non potuit Pontifex tam lubentia mancipia aſpernari, quæ vel ſine mercede ſola artis ſuæ confidentia ſeruire geſtiebāt. Dedit ergo veniam Æolo, id eſt, Layolæ vētorum regi, vti ſocios ſuos per prouincias diuideret, arte ſua vſuros paſsim, ſtragémque daturos. Illi accepto imperio læti, qua data porta ruunt, & terras turbine perflant.

De vtilitatibus artis Ieſuiticæ.

VTilitates nunquam tot & tantas ſibi & Papæ Ieſuitę ſpoponderant, quot & quantas, ſibi & Papæ, Ieſuitæ ſua arte pepererunt. Nam qui ſerpētum in morem initio terræ puluerem eſitabant, & inopia adacti ſolum ſolo identidem vertere cogebantur: nunc ampliſsimis

mis in palatiis habitant, rebus & hominibus florentes, eorúmque longè diſsimiles, qui deuotoine quadam deſperationi proxima, ad vltimos Indos nauigabant. Irrepſere autem primùm in gratiam hominum auſcultandis confeſsiũculis, vnde miſerè victum ſuum excerpebant. Mox vbi paululum firmitatis acceſsit ex ſpoliatione forſan alicuius vetulæ, quam ſuis ſuſurris obtuderant, pueros ſine mercede docendos ſuſceperunt: quo artificio non vulgarem vulgi fauorem emeruere, criminandis præſertim aliis doctoribus, vtpote quorum doctrina venalis eſſet, quorum ſcholæ nulli ſine mercede paterent, & interdum doctrina peregrina perſonarent. Mirum quantum hæc criminatio valuerit, quantáſque Papæ & Ieſuitis attulerit vtilitates. In primis, vt facilè eſt in magna piſcium multitudine rete ſuum implere: ſic etiam in hac iuuenum frequentia Ieſuitis facilè fuit continuò aliquos inſtitutis ſuis implicare. Ea enim eſt ætas quæ blanditiis ſimul & doctrinæ admiratione permouetur, & propediem ad operam nauandam præſto eſſe poteſt. In quo monachorum error emendatus eſt, qui puſiones vix dum è cunabulis egreſſos ad ſe admittebant, totóſque quindecim aut 20. annos nutriebant, antequã ad praxin admouere poſſent. Hoc ſolerter animaduertentes Ieſuitæ, ſuos in eo ætatis flexu intercipiunt, qui iam ad adultam vergit. Nam ſi diutius expectarent quotuſquiſque eſt qui guſtatis parentum monitis in eorum ſagenam ſe illici pateretur. Illiciũtur autem ij potiſsimum,

qui aut ingenio, aut opibus valent, vtrique ſuſtinendæ Ieſuiticæ dignitati. Quibus autem artibus id fiat inferius diſſeretur. Altera vtilitas eſt, quòd ſeductis ex omni numero locupletioribus, & ingenioſioribus quibuſque, reliquos ita penitus doctrinæ Papææ flore imbuunt, vt lana ſaturata Babylonico veneno tenacior non ſit coloris & odoris. Tertia vtilitas eſt, quòd docendis inter alios ſenatorum filiis tandem obtinuerunt vt mulctarum ea portio, quæ in cauſas pias erogari ſolebat, ipſis nullo oneroſo titulo adiudicetur, ſecus atque aliis monachis quibus ea lege atque omine tribuebantur, ſi vſque in finem ſæculi pro anima damnati deprecatiunculas modularentur. Res ſanè improbi laboris. Et quoniam nunquam niſi ob euidentem vtilitatem Ieſuitæ à monachiſmo receſſerunt, perſtringam breuiter quibus in caſibus monachiſmos emendarint. Monachis ex teſtamento ſuorum, aut ab inteſtato legaticapio nulla erat, ideo neque querela de inofficioſo competebat. At Ieſuitæ id iuris ſibi reſeruarunt, vt hæreditates ad ſe deuolutas nomine quiſque priuato adire, ac præteritione teſtamenta rumpere poſſent. Et quamuis dona grandia monachi à caducis & moribundis hominibus aucuparentur, negari tamen non poteſt quin id ipſum, vel acuratius, Ieſuitæ præſtent. Sed illud certè intereſt, quòd non ad recitandas manè & veſperè nænias ſe adſtringunt, neque cadaueribus diuorum delubra funeſtant, ſed quicquid id eſt quod donatur, putum purum ſibi habere volunt. Reformarunt

item eam turpitudinem monachorum qui mã-
tica per vicos onuſti ſtipem & annonam oſtia-
tim mendicabant: In templis verò, ſicut in fo-
ro, vinum, polentas, oua, gratiis mercabantur.
At Ieſuitæ domi & foris nil niſi nitorem, &
lautitiam præ ſe ferunt. Suppreſſerunt præterea
quaſdam mei & tui appellationes, quæ iam in-
ter monachos gliſcebant, magnámque incom-
modorum caudam ſecum trahebãt. ſimul enim
ac rerum proprietates diſtinctæ eſſe cœperunt,
deſerta cauſa publica, ad ſuum commodum quiſ
que collimauit. Vnde ſi ab vno collegio in aliud
commigrandum erat, colligendæ ſimul omnes
erant ſarcinulæ, alioqui nuda omnia & inania
reperturis. Ieſuitæ ſoli reperere modum quo
nihil poſsidentes omnia poſsideant: nam & de-
poſitis omnibus impedimentis ſecuri paſsim
ambulant, & quocunque gentium proficiſcun-
tur, omnem ſupellectilem & corporis cultum
inter ſuos opportunum nanciſcuntur. Præterea
informi quodam habitu monachi incedentes
tetricum quiddam & inhumanum ſapiebant:
hi nudis pedibus, hi feneſtratis calceis, hi turbi-
nato vertice, hi cuculla, aut contortis funibus
horrendi. At Ieſuitæ formam communem te-
nuerunt, vt ſe turbis hominum vltrò citróque
miſceant, rumuſculos impunè captent, ſuúm-
que vigilum & ſpeculatorum munus exequan-
tur. Inde eſt, quod in extremas oras nullo pene
ſumptu abeunt, & grauiſsimas à Papa legationes
obeunt, quæ Cardinalibus antea demandari ſo-
lebant. Denique, inter Monachos & Ieſuitas,

quòd ad habitus victúſque formam attinet, tantùm intereſt, quantùm inter veteres meretrices aulicas & recentiores: illæ pulchritudinem ſuam in ieiuna quadam corporis exilitate conſtituebant, vnde miſerè genium ſuum affligebaut: hæ verò veterem illam hæreſin damnantes, corpus ſuum intus & in cute ſplendidè curandum, neque quicquam in fraudem genij de demenſo detrahendum cenſuerunt. Et hæc de vtilitatibus quas ars Ieſuitica ſuis & Papæ concinnauit.

De obiecto, fine, & præſtantia artis Ieſuiticæ.

EX multiplicibus intellectus habitibus Ieſuitica præcipuè fide, ſcientia, & opinione continetur. Fides in Romanũ Põtificem ínque Romano Pontifice recumbit. Scientia ex demonſtratione naſcitur. Hæc autem eſt certiſsima demonſtratio: Quandiu ſuperſtitio florebit, tandiu & ſanctitatis doctores. Semper autem in regno Pontificio florebit, ſemper ergo Ieſuitæ ſanctitatis doctores inibi florebunt. Opinio in eorum multis reſidet qui neſciunt quid faciant, ſed ſola opinione ducti maiorum funem ductúmque ſequuntur. Inter eos qui fide prædíti ſunt & eos qui ſcientia, hoc eſt, inter quatuor & trium votorum, profeſſos diſcrimen tale eſt, quale inter Craterum & Hepheſtionem Alexander Magnus conſtituebat. Illi ſunt φιλαλέξανδροι: hi verò φιλοβασιλῆες. Illi in perſonam Pontificiam inhiant: hi ſtatum Pontificium adorant.

Vltimi qui ſola opinione ducuntur, vel fidem certè & ſcientiam admodum obſcuram habent, miſeri homunciones ſunt, qui aquam hauriendo, ſordes euerrendo, patinis eluendis, muſcis abigendis dant operam, non ſine magno humilitatis merito apud ſuperos inferóſque. Corporis Ieſuitici primi illi cerebrum obtinent: ſecundi cor & pectus: vltimi pedes ſunt & pediculi: vnum os tamen cunctis atque vnus venter eſt. Ac eorum omnium connexio habitum conſtituit Ieſuiticum ab aliorum omnium habituum natura diuerſum. Cùm enim ex Philoſophorum regulis omnis habitus intra cognitionem aut actionem conſiſtat, aut alterutri adminiculetur: hic ſimul actionem & contemplationem complexus eſt, atque adeo omnes alios habitus ſpeculatiuos, practicos, neutros ſibi ſeruire coëgit. Artium ſpeculatiuarum finis eſt ſcire: hunc finem Ieſuitæ petunt, vt ipſos alij ſcire ſciant: actiuarum finis eſt actio, quæ tum in Ethica tum in œconomica, tum politica cernitur. Quarum artium ſemina in cuiuſque natura quidem ſunt, ſed adeo inualida vt niſi arte adiuuentur vix vnquam ad ſuam perfectionem effloreſcãt. Itaque ab harum perfectionum laude Ieſuitæ ne aberrarent, ſuam ſtabiliuerunt inter ſe artificioſam diſciplinam, ſuam item non indoctam œconomiam: Politiam autem longè præclariſsimam, qua omnia huc illuc diſperſa collegia, ſicut vnius corporis artus inter ſe conſpirant, ac vnam veluti ciuitatem integrant. Inferiores artes, quas mechanicas vocant, nequaquã attigerunt. Cùm

enim mechanicarum ſit non tam naturam perficere quàm imitari, Ieſuitæ, ſolius perſectionis æmuli, eas vt ſe indignas abiurarunt. Mechanicum eſt domos conſtruere, more auium quæ nidos ſuos minutatim compingunt: at intellectui practico conſentaneum eſt domos ſibi quærere omni apparatu & ſupellectile inſtructas. Ideo non ædificia Ieſuitæ, ſed ædificiorum inuaſiones meditantur. Pręterea mechanicarum artium vilis merces eſt, & eius quidem naturæ, vt non niſi exacto labore reddatur. Ieſuitæ verò antequam manum operi admoueant, operæ ſuæ precium flagitare ſolent. Quid quod mechanicis facilè carent, vtpote qui penetrales alias artes habent quæ mechanicis, practicis, ſpeculatiuis omnibus artibus hominibúſque dominātur. Harum præcipua confeſsio dicitur, ipſius Ieſuiticæ quaſi manus & organum, cui reliquæ Ieſuiticæ partes ſeruiunt, ſicut Archimedi Syracuſæ: ad eā pertinet celeber in iure de confeſſoria & negatoria actione titulus, item alius de reis & confeſsis. Ars flexa nimis, imperioſa, præpotens, circumuaga, verſatilis, ambigua, ſempérque arrectis auribus adſtans.

Ex his claret artis Ieſuiticæ præſtantia, quæ tot ac tam diſparatas artes in vnum finem & obiectum flexit, veluti nauticā admiramur, quæ lignum, picem, ferrum, carbaſa, magnetem in vnum nauigationis vſum, & ſpem lucri inter ſe committit. Obiectum ſuperius innuebamus, cum dignitate otium: ſed certè obiectum, aliud ex toto aliud, ex partibus definire oportet. Ieſuita-

ſuitarum enim duo ſunt genera,tyronum & veteranorum.Hi maiorum,illi minorum gentium Ieſuitæ dici poſſunt,qui licet in vnum eundémque finem tendere videantur, non tamen vna eadémque ratione pergunt. Nam ſicut in exercitu,hic amore in ducem, hic cupiditate lucri, aut ambitione fertur, omnes vnam victoriam ſtudent: ſic in hac Ieſuitarum colluuione, hic cæco religionis ſtudio, hic doctrinæ ſpecie trahitur, omnes ad generalem finem remis velíſque cõtendunt, quod eſt cum dignitate otium. Finem tamen hunc perſpicuè non omnes,ſed ſoli veterani vident, qui ſuos ita placidæ ſeruituti aſſueſaciunt,vt eis omnem dignitatis & ſeruitutis ſenſum auferãt.Atque id æqualitatis primò cuiuſdam inter ſe prædicatione, deinde obedientiæ cuiuſdam commendatione, quæ vna omnium virtutum ſummam complexa ſit: minores enim perſuaſum habentes omnia inter ſe eſſe communia,ſacra,prophana,merita,omnéſque à beato patre Ignatio redamari,Troëm Rutulúmque nullo diſcrimine agi,facilè ferunt aliis incumbere onus,vt ſibi ipſis bene ſit:ſicut vxores ex maritorum ſplendore ſatis nitent,ita ipſi coniugio quodam cum veteranis iuncti, ſatis ſe habere putant quò conditioni ſuæ allubeſcant, nec enim ſerui,ſed ſocij & coadiutores appellãtur, quibus nominibus ad maiorem obedientiam inuitantur,alacriùs quippe ad pugnam vadunt milites,ab imperatore commilitones appellati,alacriùs quoque ſubditi æra intribuunt, quæ auxiliaris pecuniæ nomine exiguntur: quia

tamen ne id quidem ſatis firmum erat, ne ſeruilium operarum, quibus miſeros ſuos aſſeclas onerãt, eos tandẽ defatigatio caperet, eas veterani nõ tã ſibi quàm Chriſto exhiberi cõmenti ſunt, ne quiſquam mandata ipſorum detrectaret, ſed vltrò ea ſequeretur, ſicut viliſsimo cuique ſatelliti, regio nomine compellanti, paretur. Simili penè calliditate quidam Venetorum dux, cùm ei pater iam ſenior aſſurgere nollet, imaginem Chriſti pileo ſuffixit, vt quem perſona ducis à patre ſibi non meruerat, eùm Chriſti imago honorem mereretur. Itaque volunt veterani Chriſtum latentem in ſe ipſis adorari, eiúſque ſeu ὑποφήτου obedientiam ſe velle clamant, non ſacrificium: at qualem, bone Deus! obedientiam cæcam, ſurdámque & mutam, quæ cauſas nunquam cur quid iubeatur expoſcat, quæ parentum, magiſtratuum, regum reſpectum neſciat, ſed tanquam ſagitta volatilis, nerui tantùm vim & impulſum ſequatur. Ita enim conuentum eſſe cùm primùm in ſocietatem Ieſu nomen darent, vt à patribus, in quorum manus ſe totos reſignabant, tanquam à Chriſto ipſo deinceps agi ſe ducíque paterentur. Hoc enim vice Euangelicæ ſubmiſsionis eſſe toties in ſacris libris inculcatæ, quæ quidem in vera ſui abnegatione, ac omnium ſuorum affectuum profligatione conſiſtit, quæ hominem à ſe ipſo radicitus auellit, quæ bifariã quaſi diuidit, alterámque partem neci dedit, vt altera Chriſto viuat: nam licet non tam hominem abiuraſſe quàm in hominem iuraſſe videri poſsint, non tam ſe ipſos exuiſſe,
quàm

quàm penitius in ſuos ſenſus ſe induiſſe: qui tamen ſe Chriſti nomine ſtipulantibus mancipa-runt, dubitandum non eſſe quin illam obedientiam acceptam ſibi Chriſtus ferat. Itaque nihil tam abſurdum, ineptum, à communi ſenſu abhorrens imperari poteſt, quod à tyronibus non ſumma cum laude capeſſatur: nihil tam ſanctum ab iiſdem per ſe ſuſcipi, quod non vitio vertatur: cùm eorum omnis in eo laus ſit, vt tãquam ſagittæ proprij motus expertes, arcus ſemper intentionem expectẽt. Optimum militem Cæſar definiebat qui optimè morem gereret: iique optimi Ieſuitæ cenſentur, qui maximè veteranorũ dicto audiunt, quod, quàm ſuperis gratum ſit, miraculo comprobatum eſt. Quidam enim cùm grandius O ducere cœpiſſet, ſtatímque aut nola, aut fores iuſſu ſuperioris crepuiſſent, in ſemicirculo ſubſtitit protinúſque euolauit: reuerſus deinde cùm rurſus manum admouere vellet, ſuum O perfectum, illúdque totum aureum reperit: ex quo axioma ductum eſt, potiùs eſſe ipſam orationem dominicam, aut quoduis aliud bonum opus inchoatum, relinquere etiã ſi parum à fine diſtet, quàm vel tantillum Superiorem demorari. Ex his initiis profecti Pater Xauerius, pater Laynes, hic reconditiſsima ſcientiâ, ille θαυματουργίᾳ, à Deo donati ſunt: aliíque innumeri ad ſummos gradus euaſerunt. Hæc & alia veterani minoribus identidem inculcant, quia cùm, iuxta Daui Terentiani præceptum, multum referre arbitrentur, an quid ex animo, an ex arte geratur, quam ipſi præpoſitis ſuis ex

arte præſtant obedientiam, eam ſibi ex animo deferri cupiunt : ſed,ne vel ſic minores olim defatigatio caperet, variis exercitiis faſtidium leuare, variiſque præmiis remunerari inſtituerunt. Exercitia aut ſanitatis ſunt,aut literaturæ, aut verò ſanctitatis. Quæ ad valetudinem ſpectant exercitia, confabulatione & ambulatione continentur:literatura:multiplex eſt,Grammaticæ verborum ſpinæ,Rhetoricæ Logodædaliæ, Dialecticæ ſophiſmatum ſtrophæ, Theologicæ verò præclaræ in modo & figura diſputationes, exercitia quibus ſanctitatis opinio aut alitur,aut conciliatur, hæc ſunt, Frequentes aquæ luſtralis aſperſiones, miſerabiles oculorum conuerſiones, incuruiceruicæ flexiones, crebri pectoris planctus,attoniti vultus,omnia ad ſtuporem & admirationem comparata, quibus ipſi primùm infatuari, deinde ſtuporem ſuum in alios tranſfundere poſsint.

Hæc omnia duplex merces ſequitur : laus & indulgentia erga eos:veteranorum laus, vt ita dicam, aut actiua aut paſsiua eſt:& hæc quidem locum habet cùm ſe minores vltrò iactant, éque ſuis facinoribus magnam à veteranis gratiam inire volunt.quia natura comparatum eſt vt in eos propenſi ſimus qui ſe beneficio noſtro obſtrictos profitentur : ideo veterani licet narrantibus non omnino credant, fidem tamen ſe adhibere fingunt, vt ex ſua ipſorum ſimulatione, minorum Ieſuitarum ſimulatio ſe opertam arbitretur, ſibíque ex eo non parum ſanctitatis arroget: quantum enim præconium meretur

hæc

hæc celſitudo animi, quæ fundos, opes, affinitates patrum ſeruitio poſthabuit ac ſpes inanis ac ludibria cum ſorte ſocietatis Ieſu certa commutauit, hoc quaſi ita ſit, ita veterani approbant, atque inſuper addunt quantum difficultatis in eiuſmodi tentationibus profligandis ſit, ſe expertos eſſe. Quemadmodum milites ex præliorum quibus interfuerunt commemoratione alacriores à ducib⁹ reddi ſolẽt, ad reliquũ quidquid eſt difficultatis exhauriẽdum, etiam ſi aut nullis, aut iis certè leuiſsimiſque præliis interfuerint: ita minores cùm vident ſua κατορθώματα tanta cum admirationis ſignificàtione ſuſcipi ſecum ipſi triumphant, ac priorem gloriam nouis victoriis ſuperare contendunt. Laus actiua ex duplici capite ducitur, aut ex vniuerſæ ſocietatis commendatione, cuius quotquot alumni, totidẽ Chriſti aulici ſunt ac veluti purpurati, aut ex ea virtute quæ in ſingulis maximè eniteſcit, quæ rurſus duplicem comparationem recipit, aut cum externis hominibus, aut cum domeſticis & ſodalibus Ieſuitis. Laus quæ ex externorum, præſertim ſi ſeculares ſint, comparatione naſcitur, aliquanto remiſsior eſt, quæ cum monachis acrior: quæ cum ſuis acerrimè pungit. Domeſticæ comparationis materia rurſus duplex, aut enim ingenij fit, aut Sanctitatis. Sanctitas aut in habitu, aut in actibus conſideratur. Qui ſedulitate, zelo, deuotione intemperiis magis graſſatur, à numine magis impelli dicitur. Qui verò languidior eſt, veluti iam quæſito ſanctitatis habitu laudatur. Itaque ſicut in mari co-

dem vento nautæ contrarios curſus regunt, paululum in hanc, vel in illam partem inflexis velis: ita nulla laus ſanctitatis eſt quam non facilè in hanc vel in illam partem inuergentes veterani, vel ſe ipſa deteriorem, vel ſe ipſa meliorem faciant. Ingeniorum vis in compoſitionibus aut in diſputandi ſubtilitate cernitur. Cõpoſitiones aut priuatim lectitantur, aut publicè declamantur. Diſputandi gloria & voluptas incomparabilis eſt, neque quicquam tale eſt, quale hominem in ſua opinione exultantem argumentis punctim contortis, ita confodere, vt animam agat ad metum non loqui compulſus, quis ibi victor plauſu veteranorum non extra ſe ponatur? qui laudum harum alicuius, aut à veteranis teſtimonij ſibi conſcij ſunt, ſic in ſinu gaudent, vt fortunam ſuam cum ampliſsimis theſauris permutare nolint, neque vllam maiorem beatitatem deſiderent, præſertim in tanta veteranorum indulgentia, qui ſicut ludi magiſtri facilius conniuent in vitiis eorum in quibus maiores ad diſcendum impetus & progreſſus vident: ſic ipſi multum de ſeueritate ſua erga eos, qui aut obedientia, aut ingenio promptiore ſunt, remittere ſolent. Si quis enim, verbi gratia, monachis aut ſibi non aſſurgentibus, aut de via non decedentibus, conuitium fecit, leue eſt, zelo Ieſuitico exarſerat: falſa miracula plebi obtruſit, at bonus dolus fuit: ſubditos regis ad rebellandum concitauit, at regi nullo ſacramento tenebatur: diu inſanis quibuſdam cogitationibus indulſit, Deúſque eſſet néc-ne dubitauit, at ſanctiſsimis quibuſ-

quibuſque, Ieſuitis potiſsimum, id euenire ſolet: Cupiditate ſolùm ſolo vertendi laborauit, ac ſuæ impatientiæ valetudinis cauſam prætexuit, verùm pulchrum deſiderium eſt, paſsim toto orbe videndi, quæ trophæa patres excitarint. Adde quod ſicut arbores in aliud ſolum tranſplantatæ feraciores euadunt, ita Ieſuitæ maiores ſunt in aliena quàm in ſua quiſque patria Prophetæ: in aliena duces ſunt, comites, illuſtriſsimi, à comitibus & ducibus oriundi, in ſua veris natalibus reſtituuntur. Hoc viuendi genus varietate ſua ita iucundum eſt, vt qui guſtarunt beatiores eſſe nolint, nec ad vllam vel Ieſuiticam dignitatem promoueri, ſed finem ſuum in eo ſtatuant, vt tanquam hiſtriones, citra vllam victus & veſtitutus curam, ex Choragorum norma, populo foris delicias faciant, ſuis intus gratificentur.

Nunc ad veteranos venio, quorum ſcopus longè alius, atque adeo quàm putetur altior eſt. Etenim minorem quandam Monarchiam animo meditantur, quæ Papatus imaginem vſquequaque gerat. In primis enim Generalē agnoſcunt vnum, Romæ æternùm ſedentem, cuius omnes deinceps imperio latè ſubiecti ſunt. Is adſtantes ſibi habet Secretarios ordinis, quibus tanquam cardinibus totius corporis compages vertitur. Iis ſubſunt Prouinciales qui ſuos Archiepiſcopatus triennes adminiſtrant: Rectores deinde vno gradu inferiores Epiſcoporum inſtar obtinent: Coadiutorum turba reliquus clerus eſt: ſuperſunt Profeſsi, hoc eſt, monachi Ie-

ſuitici,ex quorum corpore Archiepiſcopi,Cardinales, atque adeo Generales eliguntur. Hæc monarchia è paruis initiis profecta, breui tempore per Italiam,Hiſpaniam, Luſitaniam, Galliam,Germaniam,Daniam,Vnguariam, extremámque Europam ſe extendit: Hæc Calecutia regna,vltimos Indos, auríque partem quæ inde aduehitur,arte ſua occupauit:hæc regum, principum,Rerumpub. humeris & ceruicibus ſuſtinetur: hæc arcana populorum nouit innumeróſque iuuenes fidei populorum erga ſe obſides habet:hæc tot Abatias,Scholas, Prioratus, monachatus, minutos denique ſerpentes tot deuorauit,vt draco iam omnibus metuendus videatur. Huius ergo Monarchiæ membrum eſſe quanti æſtimari debet,gliſcentis in dies ac priori ſuccreſcentis?Prior in ſenium vergebat,ac Atrophia laborabat: hæc ei nutrix & lactatrix aduenit, quæ greſſus labantis confirmaret, quæ caducam ſuffulciret.Vnde auſi ſunt pontificiam cathedram ruentem,aut ruinam certè minitantem pingere, quàm ipſi ſuis humeris, denſa teſtudine conferti ſuſtinerent. Vtraque monarchia biceps: huius enim Pater Generalis caput eſt, Patris Generalis ipſe Pontifex, Pontificis Ieſus qui ſecus viam apparuit eſt caput. Sicut Pontifex cum patre ſuo:ita pater generalis cum Pontifice:ambo duo inter ſe de compacto rem gerunt.Pontificis immanis in Eccleſiam tyrannis, faſtus exuperans,profuſa in omnem luxum intemperantia eſt, hæc tria deffendenda veniũt. Itaque veterani ridicula ſuorum humilitate,
pau-

paupertate,nomine tenus paupere,continentia, propediem eruptura,ad eam tyrannidem,luxuriam, libidinem tegendam abutuntur. Quibus ſpeciebus populorum rudium aciem perſtringunt. Quoniam tamen in his, maiori duritie quàm ferat minorum Ieſuitarum cutis, interdum opus eſt, adhibent etiam aliud genus hominum, qui Capuchini vocitantur, quíque, vt eſt apud Ennium, quotidie fœdè ſtupréque caſtigantur. Homines rigidiſsimi eò ſe audacter flagris & paupertate freti penetrant,quò reliqui nequaquam auderent. Hi Ieſuitis viam munire ſolent,ac ſicut muſcæ, in carnibus in quibus inſederunt, Ieſuitarum ſeu vermium ſcaturiginem creare. Sicut autem Ieſuitæ non-nihil anguſtiarum ſentiunt:ne ſuis in latifundiis Pontifex coarctetur, Ita Capuchini afflictim ſe afflictant, vt Ieſuitis amplum cum dignitate otium ſubſternant.In eos eam partem religionis Ieſuitæ contulerunt, quæ in χαμευνίαις flagris, crucis baiulationibus.Et incdia ſita eſt, ſuis tantùm animi gratia nota eſſe voluerunt.Quod ſi ipſi aliquando ad præeundam minoribus viam, verberibus ſe leuiter contingunt,ſi ieiunio & preculis vacant,& multis contrà, ſe in ſpeciem priuant, quorum certa in ipſis concupiſcentia eſt, Zopyro ſimiliter faciunt, qui ſummas nares & aures ſibi præcidit vt Babyloniis imponens, iis regem Cyrum imponeret: magno quidem in Cyrum amore, ſed potiſsimum vt ex eo facto otium ſibi cum dignitate quæreret,qui Ieſuiticæ & Papalis Monarchiæ finis eſt.

De magna Ieſuitarum machina quæ confeſſio dicitur.

NVllam arcem Philippus Macedonum rex inexpugnabilem cenſebat, in quam aſinus onuſtus auro introire poſſet: nullam itidem ego arcem tutam eſſe puto, ad quam confeſsionis machina à Ieſuitis admoueri poſsit. A Ieſuitis inquam veteranis, qui ſoli eius tractandæ rationem norunt, déque modis eius machinæ ad quoſuis muros applicandæ bis in hebdomada diſputare ſolent. Hac enim, cùm nudo & aperto Marte petere videantur, cuniculos agunt, muróſque ſurdis ictibus ſuffodiunt, quibus vigiles quantumuis auritos & oculatos fallant. Arces autem caducas & ruinoſas potiſsimum appetere ſolent, veteres fœneratores, meretrices obſoletas, nuper nuptas puellas, tenera ingenia, & quidquid facilè euerti poteſt. in quo multas vtilitates cum voluptate coniunctas habent. Quid enim æquè volupe eſt, curioſis præſertim hominibus, ac rerum occultiſsimarum veritatem elicere, quam ne ſuppliciis quidem ſummi iudices extorquerent? quid autem dulcius, quàm à fœneratoribus, & id genus aliis, vna operâ emungere, quod ipſi multo labore hinc inde corraſerunt? Itaque ſi cuiuſque labes tam libenter audiunt, eas non tàm oderunt, quàm ex acroamate vtilitatem cum voluptate quærunt. Cur enim ſi quis diu de peculatu, aut aliis malis artibus locupletatus eſt, ad eum potiſsimum machinam admouere laborant? Cur non

in pauperibus æquè vitiorum anſas præcidere ſtudent? certè more eorum faciunt, qui latrones veſtigant, non tam Iuſtitiæ ſtudio, quàm vt eos excutiant raptóque potiantur: aut quorundam principum, qui præfectos prouinciarum, ſicut hirudines ſanguine ſuorum ſubditorum ſatiari ſinunt, vt cùm plenos viderint & turgidos in ius vocent, ideſt, in torcular, ac ſemel illum omnem ſanguinem exprimant quem honeſtè ipſi à populo ſugere non potuiſſent. Quò autem arcana eruant, mirum quàm aſtutè machinam ſuam admoliantur. Negāt in primis arcana confeſsionis à ſe reuelari poſſe, quæ enim ſibi clanculum aperiuntur, ea non homini, ſed Deo aperiri: nec ſi reuelarentur, ſibi fidem vllam vtpote indignis omni fide teſtibus adhibitum iri. Sed ſanè hîc, ſi vſquam alibi, locum habet Italicum prouerbiū, *Qui ha fatto la legge, ha fatto l'inganno*. Nam ſi quicquam ſociis reuelare cupiunt eorum, quæ clanculum audita ſunt, rogant confitentem, vt eaſdem ipſas res extra confeſsionem ſibi renarrare velit. Quod cùm ingenuè confitens negare non poſsit, locum & horam accipit, qua ipſos adeat, atque adeo eos omni animæ ſcrupulo liberet, ſi quid earum rerum deinceps aperire cupiant. Confeſsionem autem dilucidam & reſupinam eſſe debere probant, non inficita narratiuncula. Quendam cùm peccata confiteretur, totidem ex ore ſerpentes eiectare viſum eſſe narrant: ad extremum, cùm graue quoddam flagitium fateri erubeſceret, maiorem quendam ſerpentem, identidem caput exerentem, ap-

paruiſſe, cúmque cùm foras prorumpere non potuiſſet, reliquos minores ad ſe intrò reuocaſſe. His miraculis meticuloſas mentes percellunt, vt quicquid fraudis & perniciei intus latet, totum in Ieſuitarum ſinum effundant. Præcipuè cùm ſolenniores feſtiuitates appetunt, in quibus de more maiorum in machinam quiſque ſe inuitare ſolet. Hic ergo immanium vſurarum, hic expilatæ hæreditatis ſe accuſat, hic ſubiectum teſtamentum aut alia fraude quæſitam pecuniam confitetur: Ieſuitæ inſtar Crocodilorum, qui homini, quem deuoraturi ſunt, collachrymantur, mœſtitiam vultu ſimulant, premunt alto corde lætitiam. Itaque cùm reſtitutione opus eſſe dicant, benigni interpretes, legis rigorem ita temperãt, vt ſimul iis qui damnum acceperunt, ſimul raptoris famæ & exiſtimationi conſulant. Cùm enim ſine dedecore res palàm iis reddi nequeat, quibus erepta, aut interuerſa eſt, ipſi vice reſtitutionis aliud ἀντάξιον comminiſcuntur. Conſtituunt ſe procuratores, aut ſequeſtros omnium qui læſi ſunt, ideo hoc aut illo nomine res reſtitutas vſurpare non verentur. Hoc ſiquis indignè factum autumat, rem non recta reputat via, nam vice earum rerum indulgentias ſe repenſuros pollicentur, quæ non ſolùm præſentibus proſint, ſed & natis natorum, & qui naſcentur ab illis: χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοια ἐννεαβοίων. Hæc vtilitas aliam adiunctam habet, nam perueſtigandis omnibus, quas vocãt circunſtantiis, crimine ab vno diſcunt omnes criminis participes, quos ſtricto nexu deinceps

obnoxios

obnoxios tenent, eorúmque capiti ſemper & ceruicibus impendet. Huius tamen inuenti laudem non eſt quòd ſibi arrogent, aut Alexandrum Abonotichitam, cognomento ψευδομάντιν, de quo Lucianus librum conſcripſit, laude ſua priuent. Is enim cùm Prophetam ageret, ac ſe omnium petitionibus reſponſurum profiteretur, libellos offerentium manu ſubſignatos perlegebat, in quibus ſi quod graue in Remp. flagitium conceptum reperiſſet, eos penes ſe retinebat, vt homines ſibi male conſcij ſilentium ſuũ muneribus redimerent. Sed hæc attigiſſe ſat ſit. Nunc venio ad alteram vſus huius machinæ partem, quę voluptas eſt. Nemo ignorat quàm dulce malum ſit curioſitas, & quàm quiſque affectuum ſuorum cum alienis comparatione delectetur. Solet etiam hominum vanitas ad anteactæ vitæ ſuæ commemorationem geſtire, magnámque voluptatẽ cogitatione vſurpare. Vnde fama vulgatus eſt mos veteris cuiuſdam aulicæ, Ieſuitis veteranis non incognitæ (ac ne mirentur Ieſuitæ eam me ſibi cognitam aſſerere, ea ipſa eſt cui Maſsiliæ Clemens ſeptimus, eius gratia captus, tantùm indulgentiarum indulſit, ſi tranſuerſum per os corollam ſuam duceret, quantùm aliis ſigillatim ad quemque globulum ſalutationem angelicam recitantibus) quæ magna auiditate hodie ab aduentatoribus ſciſcitari, perindéque audire ſolet, quid quiſque nequiſsimum in vita geſſerit: Ita veterani, tum quòd alienarum actionum narratione in ſuarum recordationem iniiciuntur: tum quòd prę-

ſentium narratione titillãtur, mira ſagacitate odorantur omnia, interrogationibus anxiis omnia pertentant, in omnes animi caulas ſe penetrant, præſertim ſi tenerum aliquod ingenium nacti ſunt, vnde aliquid inſolens, aut delicatum eos pupugerit. Nec enim ſimplici malefactorum hiſtoria contenti ſunt, ſed eoſdem habitus, vultus, accentus ſibi repreſentari volunt: vnde aliquando accidit, vt quædam fœminę, ad honeſtatem paulò propenſiores, lachrymis & pudore ſuffuſæ, putidas Ieſuitarum interrogatiunculas abruperint. Mirabitur aliquis tantam mali ſcientiam in tam Sanctis pectoribus habitare, quærétque forſan, vnde illa tandem hauſta ſunt? Atqui ſciat Ieſuitas, ea quæ à Caietano & Soto Hiſpano hac de re ſcripta ſunt, non paucis additamentis locupletaſſe. Si quid enim turpis, vafríve paulò ingenioſius excogitatum, auditúmve eſt, continuò in arcanas tabulas refertur, in vſum patrum ſocietatis Ieſu, qui hanc artem ſupra modum excoluerunt. Quemadmodum enim in pendendo auro, ſi quid iuſto ponderi deeſt, addito ſcrupulo impletur pondus legitimum: ſic in expendenda grauitate vel leuitate peccatorum, momenta circunſtantiarum ita examinant, vt vna detracta, vel addita, facilè cognoſcant, an peccatum ſit mortale, vel immortale, ſtatímque pronuntient, vt bonus ille Hilarion ex odore corporum, *Voila qui ſent le diable, voila qui ſent le diablotin.* Præterea doctrinam quandam de caſibus reſeruatis conſcripſerunt, quarum ſolutio extra ordinem olim ab Epiſcopis,

pis,interdum à Cardinalibus,atque adeo ab ipſo Pontifice petenda erat. Nunc penes Ieſuitas tota eſt, magno id quidem ſuo ipſorum merito: nam cùm Venetiis primùm confeſſoriam artem agerent, vbi tunc Petrus Carrapha famæ Sanctitatis ſeruiebat,ad eum tãquam ad oraculum confitentes amandabant, ſi quid τῶν ἀλύτων inciderat. Qui à Ieſuitis clanculum monitus libros promtos,inibíque apertos habebat,vbi de quæſtione ſermo erat, vt cùm conſulentes aduentarent, diuinitus id accidiſſe videretur: quo artificio & Prophetæ ſuſpicionẽ tulit, gradúmque ſibi ad Pontificiam dignitatem fecit. Cuius deinde compos factus, cùm beneficij tanti recordaretur, Ieſuitas hac omnipotente facultate remunerauit. Supereſt,referre rationem eius machinæ ad verſandos iuuenum animos adhibendæ. Laudant Ieſuitæ miris laudibus eas conſcientias,quæ frænum libenter admittunt, ac ſe vltrò citróque verſari patiuntur. Quibus laudibus guſtatis ambitioſæ mentes iuuenum certatim ſe dedunt in machinam verſandas. Huius ambitionis ſpecimen aliud referre non pigebit. In humilioribus claſsibus interdum, tentandi cauſa ,prouocat ludimagiſter , ſi quis amore in Deum , Deiparám-ve virginem, verbera pati velit, continuò videas innumeros hinc inde diſcipulos,diſſolutis caligis , nudas oſtentare nates: Magiſtrum, autem ſuccincta in læuam tunica, ab extremo ad extremum curſitare, & nunc has,nunc illas aſpergere nates. Vide quid poſsit ambitio. Itaque quaſi quiddam valde ſerium a-

gerent,ſua omnia Ieſuitis enuntiant, caſus, inſomnia,cogitationes,lætitias,iras,impetus,quicquid otium, ignorantia & iuuentus ſuggerere poteſt. Ieſuitæ ſingulis malis ſuas medelas adhibent,ſuáque pietatis adminicula ſubminiſtrant, cruces ligneas,imagunculas, corollas verſatiles, agnos benedictos,libellóſque mirificos,quibus religionis ſuæ faciem ſeu fucis & pigmentis exornant. Vbi quis ita diu machinâ verſatus eſt, vt iam vertigine correptus videatur, ſicut res in ſublimi ſuſpenſæ facili momento huc illuc impelluntur,ad ſe quantùm potis eſt trahunt, interdúmque pertrahunt. Perrarò enim hæc alea fallit,preſertim ſi methodicè fiat. Eſt autem methodus huiuſmodi. Vbi ſæpius eam facilitatem animi,ſeu ſolum ferax, in quo ſemina iacta ſtatim radices agunt, laudibus,ominibus,muneribúſque proſequuti ſunt, alium gradum ſuperare aggrediuntur. Eam ætatem eſſe aiunt quæ ad aliquod certum viuendi genus ſe debeat comparare, quæ difficillima cogitatio ſit. Itaque Herculem in biuio conſtituunt, cui virtus hinc, voluptas illinc aurem vellicet, hæc agmine venerum & leporum circunſepta:illa maligna frōte ſupercilióque veneranda: hæc in viam initio planam inuitans, ſed quæ ad extremum dumis horreat: illa viam anguſtam commonſtrans,ſed quæ paulatim ſe explicet, ac in magnificum deſinat cum dignitate otium. Hortâtur itaque iuuenem,vt quantum fieri poteſt,cogitet,& quidquid in mentem venerit,ad ipſos renuntiet. Iuuenis, ſiue quod ita videatur, ſiue gratificandi

cauſa refert, tædere ſe ſocietatis hominũ, ac inceſſiſſe ſibi cupiditatẽ, totum ſe deorum altaribus conſecrandi. Afflatum numinis Ieſuitæ venerantur, inibíque paululum ſubſiſtentes, multiplices ad otium ferentes vias oſtendunt, hinc fratrum Cordigerorum, & Benedictorum ſodalitates: hinc Capuchinorum, Carmelitarum, Carthuſianorum angelicos greges, quibus tamen ſingulis ſua adhærent vitia. Cordigeri petulantes ſunt & vagi: Benedictini Simoniaci toti, beneficiis emundis & vendundis occupati. Carmelitæ, iurium liguritores, & tanquam ex Apitij ſchola coqui. Carthuſiani fætidum quiddam, & porcinum olent, animámque ſibi pro ſale datam putant. Capuchini toti vlmei ſunt, habitúque cum cacodæmoniis imaginibus penè gemino. Videor audire illos verſus: *Hinc Numidæ infræni cingunt, & inhoſpita ſyrtis: Hinc regio deſerta ſiti, latéque furentes Barcæi.* Sola ſupereſt dici Ieſu ſocietas, quæ vna omnium perfectiones, ſeueritatem, amœnitatem, diſciplinam, laxitatem, opes, paupertatem, vſum & abuſum ſimul complexa eſt. Quid-ni ergo huic ſubſcribat iuuenis? Hortantur tamen denuò, vt ſe deóſque conſulat, ad id quod optimum maximúmque erit eligendum. Procumbit humi iuuenis ante ora deûm, & eorum numina, quantùm poteſt, obtorto collo deprecatur. Inde redit ad machinam plenus imaginibus, ſibíque cùm in omnes partes animum circumegiſſet, vnicam Ieſuiticã arriſiſſe profitetur. Hîc Ieſuitæ lætitiam ſuam diſsimulantes, agnis benedictis graníſque diris

oneratum, ad preculas amandant. Iterum magno ſtridore deos ſummos, medios, infimos adorat: ſempérque magis magíſque Ieſuiticæ deſiderio inflammatur. Vbi ignem hunc languidum Ieſuitæ imis medullis conceptum exarſiſſe vident, ad veteranos veteratores mittunt, cum quibus negotium nunc, olim otium, tranſigendum eſt, apud quos quantùm gratia valent, tantùm ſe in gratiam iuuenis enixum iri pollicentur. Quaſi operoſum quiddam, votíſque magnis exorandum ſit, Ieſuitam conſcribi. Audiũt iuuenis ſupplicationem veterani, compoſito ad ſeueritatem vultu, ſeſéque aiunt à tam multis vrgeri, vt ſanctæ ſocietatis venter eos iam capere non poſsit: ſe tamen teſtimonio ſuorum fretos de pietate iuuenis, eum in numerum ſuorum allecturos: his actis peſſum it iuuenis ſub gurgite vaſto.

De antro Trophonij, ſiue de puteo Sancti Patricij, déque ſpiritualium exercitiorum doctrina.

SI quis, vt interdum euenit, præfractior eſt, ac paulò duriore ceruice renititur, eum in Trophonij antrum coniiciunt, vt in exercitiorum ſpiritualium madore, tanquam æs, æruginem contrahat, ac viru contracto ſibi ipſi contemnendus euadat. Includunt hominem maligno quodam in gurguſtio, ad reſpirãdum quidẽ ſatis apto, ad ambulãdum autem neq; ſpatij ſatis neq; lucis habẽti. Ibi totas tres hebdomadas eo more

more patrum, ſub pellibus ritè excubat, quantúmque poteſt maximè vaticinatur : nulli ad eum aditus patet, præterquam patri ſpiritali qui ſemel bíſve in die eũ ad machinam admouet: ac deinde breues chartulas, in quibus ſententiæ ſunt, deuorandas obtrudit, quas bene néc-ne concoxerit, ex reſponſis eius ita cognoſcit, vt medici ex excrementorum aſpectu cruditatem ſtomachi coniicere ſolent. Huius paſtus amaror, licet initio nauſeam pariat, aſſuetudine tamen ita miteſcit, vt meliorem ſuccum & ſanguinem in ſe conuertat. Sic nõnullis ægris eueniſſe ſcio, vt poſt crebras potiones à medicis propinatas, immutato tandem guſtu iis delectari cœperint, neque meliorum ciborum dulcedinem deſiderarint. Sunt autem illæ ſententiolę pietatis Ieſuiticæ quaſi apices, quibus nil niſi rauum & eximium continetur.

Quis, verbi gratia, *religioſorum ordo de Deo ſuperíſque ſit optimè meritus: vtrum maiora ſint Fraciſci Cordigeri, an Layolæ Ieſuitæ facinora.*

An meliùs ſit vigilando ſomniare, an ſomniando ea intueri quæ vigilantes vident.

In quot dies homo ex ſacra hoſtia cum nonnullo alterius panis & vini adminiculo vitam producere poſſit

An ſacra hoſtia recepta dormiendo idem operetur atque vigilando.

An Bellerophon ſomnis vel alis volauerit.

An non mirabile ſit inſtrumentum à Ieſuitis repertum, quo quis per inane volans ſuum etiam in multos dies commeatum deferre poſſit.

De quibus omnibus niſi aliquid ſatis cautum ſomniauerit, demenſum ei minuunt, vt facilius commercium cum inſomniis habere poſsit. Sed quia non omnes ea cum vmbris & ſpectris familiaritate gaudent, interdum fit vt nonnulli, poſt quatuor aut quinque dies, ringi ſecum incipiant ac feneſtram quærere, vnde ſe præcipites dare queant. Ex inanitate enim cerebri, ex ſomniorum imaginibus, ex pędotribæ monitis, varium in modum afficiuntur, vt ad delirium propè & amentiam adigantur. Exacto myſteriorum tempore emittitur in lucem iuuenis viuus, vidénſque, ſomnians: non caput, non pes, non mens ſatis officium ſuum facit. Olim Heraclitus vigilantibus vnum communem mundum eſſe dicebat, ſopitos in ſuum quemque diſcedere: at qui ex hoc antro redeunt, ne vigilantes quidem communi cum aliis mundo fruuntur: nouos enim mūdos nouáſque formas, Tragælaphos, Chimæras, Hipocentauros loquuntur. Sanè in eorum vultu geſtúque contemplando non parum voluptatis ineſt. Hic ſe totum circunſpicit, ac quocunque caput agit corporis ſui figuram in aëre ſuſpenſam intuetur: hic ſe teſtaceum factum eſſe credit, metúque ne allidatur obuios quoſque vitat: hic hominum inſomnia ſe videre autumat, ſecúmque diſſoluere nequit an ſomnians vigilet, an verò vigilans vaticinetur. Vno enim tempore fulgura, tonitrua, Ieſuitarum, & Cacodæmonum voces, audire videtur.

De

De cautione Ieſuitica aduerſus hoſtes.

ODioſum quoddam genus hominum extremis hiſce temporibus denuo exortum eſt, originem ſuam auitam ad Apoſtolos referens, quod Ieſuitis ſupra modum infeſtum eſt, corúmque technas mirabiliter eludit. Sicut enim in necyomantia ſi quis adeſt riſu aut incredulitate ſua fidem myſteriis abrogans, labor omnis exorciſtarum abit irritus: ſic ex hoc hominum genere, ſi quis interuenit, aut hiſcere cœpit, mirum quantos æſtus concitet in animis Ieſuitarum. Aduerſus hos collatis ſignis, & comminus aliquando, certatum eſt, ſed cum hominibus ferreis & impenetralibus certamen iniquum fuit. Itaque tutius viſum eſt in poſterum ferentariis pugnare, quam pedem cum illis hominibus conferre. Tyrones quidem videre eſt iuuenili quadam confidentia congredi geſtientes, vti bellum dulce inexpertis eſt: ſed veterani rerum vſu & experientia triti, more Parthorum pugnantes, non tam νικὴν ſperandam quàm ἧτἰαν declinandam eſſe cenſent. Tyrones aliquid pręſidij ex Scriptura ſacra ad ſuam cauſam petere ſolent. Veterani, qui iam callum obduxerunt, vt omne diſputationis fundamentũ ſubruant, Scripturam ſacram ſúſque déque habent, ac naſum cereum eſſe dicunt, qui fingi, diffingi, & in quaſlibet figuras detorqueri poſsit. Quoniam tamen argumentorum ex Scriptura ductorum aculeis maximè punguntur, doctrinam ſuam vallo phi-

loſophico munire contendunt, vt in ſophiſticis ſpinis hoſtes adhæreſcentes, ad intimam cauſam penetrare nequeant: ſed neque vallum, neque ſpinæ ſophiſticæ horum hoſtium impetum coercent, qui quò magis irritantur, tantò magis inualeſcunt. Quæ igitur aduerſus hos hoſtes cautio eſt? nimirum fuga & detrectatio cautè diſsimulata, deſiderium audax diſputandi cautè ſimulatum. Veterani eum ardorem in tyronibus alunt, cum profligatis hoſtibus certamen eſſe prædicantes: ſed ſanè cane peius & angue id fugiunt, quod ex animo maximè appetere videntur. Perinde ac ſi quis canes ſaturos, priuatis parietibus incluſos, ad latrandum concitaret, erumpere verò frementes arctè cohiberet. Nec enim patiuntur eos hoſtem intueri, aut armorum genus, quo inſtructus venit: interdicunt iis lectione eorum librorum, qui de rebus controuerſis in alteram partem ſcripti ſunt, ídque deſiderium ita reprimunt, vt ſi quis per vnam pagellam vel ſtrictim cucurrit, abominandus cenſeatur, ad maiorúmque gentium ſacerdotes expiandus remittatur. Quid ita? Quia tanta lues eſt, quanta ab ipſis Epiſcopis vix auerruncari poſsit. Non ſolùm autem lectio, ſed etiam ipſa de lectione cogitatio damnatur, ídque ita anxiũ in modum obſeruatur, vt ſi quis talem ſecum ipſe cogitationem inſtituerit, lethiferum animæ ſuæ vulnus inflexiſſe dicatur, quod minorum medicorum, ideſt, ſacriſiciorum omnium ſcientiam effugiat. Omnino autem aduerſariorum ſuorum libros in primæ & ſecundæ claſsis

autho-

res diſtribuerunt. In primam inſigniores quoſque hæreticos:in ſecundam eos tantùm retulerunt,qui non ex profeſſo, ſed ex occaſione nonnihil eos perſtrinxerunt. E primis nihil ſine ſummo ſcelere attingi poteſt : ex ſecundis,ea tantùm quæ ad ingenuas artes ſpectant : dummodo,authoris nomine deleto , à Ieſuitis diſpenſatoribus legendi venia impetretur. Nam vel quilibet alius liber, Homerus, Virgilius,M. Tullius Geneuæ excuſus,dirus ſacérq; habetur, donec Geneuæ nomen atramento circumductum ſit, aut alterius vrbis hominíſ-ve nomen ipſis iniucundum.En,vt omnes occupant cogitationum & occaſionum aditus ! en,vt omnes feneſtras obſerant,ne lux vlla intro ſe inſinuet, artémque Ieſuiticam Papæámq; peruulget.Hoc artificium Ieſuitæ à Mahomede mutuati ſunt, qui diris pœnis comminatus eſt , ſi quis de religione diſputaret, aut dogma vllum in controuerſiam reuocaret : quo artificio, per multa ſæcula doctrinam ſuam ſarctam tectam apud homines erroris amãtes conſeruauit.Itaque , ſi Ieſuitæ libros de religione ſcriptitant , non ideo faciunt quod tali genere laboris delectentur:nec enim vrticas attingere poſſunt , quin nonnihil vrantur,ſed inuiti ſanè ſcriptitant , ne cum reliquis monachorum armentis ipſi quoque muti videãtur. Segnitiem monachorum incuſant,ſed & monachis mutas,& hæreticis omnibus ereptas eſſe linguas vouent : vt ſemel hoc aduerſus hæreticos certamine defuncti apud ſuos ſoli fumos deinceps vẽdant. Cur enim perſuaſère Pa-

pæ, vt lectione etiam eorum librorum qui adverſus hæreticos ſcripti eſſent in regionibus ſecuris interdiceret, vt bellas Panigarolæi Logodædalias in Italia legi non ſineret? metu nimirum ne veritas ſub diſputatione latitans emergat, né-ve quicquã eo in genere probetur, quod non ex ipſorum prodierit officina. Quòd ad reliquas diſciplinas attinet, in quibus tam ſtrenuè ac diligenter elaborant, ſi liberè quod meum eſt de ipſis iudicium effari fas eſt, nullius naturalis, neque ſupernaturalis ſcientiæ, ſtudium tantum in ipſis eſſe credo, quin facilè dilabi omnes ſinant, ſi per hos hoſtes liceat, de quibus cùm cogitant, nec in hanc, nec in alteram aurem obdormire poſſunt. Optarent ſanè omnes fratrum IGNORANTVM eſſe ſimiles, quales adhuc hodie Bononiæ viſuntur, perlepidi hominum generis, qui fidei articulos tenere, hæreticum, aliud ſupra *Aue Maria* ſcire nefas ducunt. Quorum ſi cuncta plena ſint, vti Coclites in regione cæcorum reges ſunt, finem ſuum facilè Ieſuitæ teneant, quod eſt cum dignitate otium.

LOCV-

LOCVSTA, SIVE Ieſuita.

Vix ipſe è terris ſuperas ſublimis in auras
Ceſſerat, exuuiis poſitis mortalibus infra
Chriſtus, vt hæredem cæli ſe nomine noſtro
Offerret Patri, dextérque ſederet, & inde
Imperium gentes latè ſtabiliret in omnes:
Cùm Satan contrà proprium ſibi condere regnum
Cœpit, & hæredem natum, quem fortè crearat,
Inſtituit regni, cuius ventura poteſtas
Cincta metu, populos olim turbaret & aſtu.
Nutrices puero geminas accerſit alendo
Hypocriſin lætam fucis, vnáque ſororem
Eius auaritiam, vili quæ ſordida cultu
Cælat opes, ſempérque inopem ſe nomine dicit,
Altera ſe vulgò facili commendat ab arte,
Sponte ſalutatrix, hominum ſponte obuia turbis,
Ficto oculos, ficto vſque genas ſuffuſa pudore.
Prima ſub his ætas poſtquam tranſacta magiſtris,
Progreſſúſque patri iuſtus pro tempore viſus
Tum puero ſeruos comites aſcribit adulto,
Ad nutum qui ſtent humiles, qui iuſſa capeſſant,
Qui plauſu ſuper aſtra vehant, regémque ſalutent.
Horum ope, cùm paucis annis foret aucta poteſtas,
Tum certare odiis, tum regum inuadere fines
Cœpit, & inſolitum populis indicere morem.
Ergo videns & opus peioribus eſſe miniſtris
Monſtrorum turmas ſtygiis emiſit ab antris
Arbiter vmbrarum Satan, quæ nare per altum,
Quæ reptare ſolo ſparſim, quæ viſa gregatim,

Núncque aluo, & pedibus, nunc verſicoloribus alis:
Atri habitus cunctis, atris ſunt ora figuris.
Aſpectu tremuere vrbes, caligine cælum
Liuenti obſtupuit, pauidis quoque fœtus abortus
Matribus, & mundo facies erepta ſereni eſt,
Nec certam deinceps viderunt ſæcula lucem.
His pauidæ gentes monſtris regẽ vndiq; cinctum
Numen adorarunt ceu quoddam, & voce bearunt:
Nec quiſquam eſt auſus tantæ ſe opponere turbæ,
Grunnitu quæ mixta ſuum, quæ mixta leonum
Murmure erat, nécnon vlulantum triſte luporum.
Donec tempeſtas affulſit clara repente
Cælitus, & tenui diſcuſſit nubila flatu:
Tunc oculis hominum patuerunt monſtra, nec vllus
Hæc vltra potuit cæli ludibria ferre.
Quiſque ſpuit, lapidéſque manu, ferrumq; capeſſens,
Ite procul portenta ſoli, procul ite prophanæ
Ingluuies, vos, inquit, opes inopéſque voraſtis:
Sparſiſtis fœdam vos gentium vbique mephitim:
Nam nec adulterij puduit, nec ſanguinis vnquam.
Non ſecus ac bicolor phario monſtrata theatro
Camelus ſputum populo conſciuit & iram:
Auertens dirum quiſque à ſe depulit omen
Principio, mox voce feram ſaxíſque petiuit:
Sic monſtra hæc gentes, paſſim iam luce recepta,
Exoſæ auerruncarunt: mox impete facto
Vlterius paſſæ non ſunt animabus abuti.
Ergo faceſſerunt, morſu licet illa tenaci
Rebus inhærerent, nolléntque abſiſtere morſu,
Semeſáſque dapes, & onuſtas linquere menſas.
Videt vt eſſe locum Satan non amplius vllum
Monſtris iam notis, nimióque abdomine tardis,
Vnus

Vnus adhuc, inquit, nobis eſt armiger, iſque
Cùm motu leuior ſpecie tum gratior illis,
Locuſta extremos olim ſeruatus in vſus.
Hunc ego ſufficiam tantis pro talibus vnum
Suppetias nato: pugnas non ille videbit
Inſcius, ecquis enim noſtro ſic puluere tritus?
Dixerat, & nigri ſedes commouit auerni,
Et ſimul obſcuro glomerauit vortice fumum,
Locuſtamq́ in eo ſuperas eiecit in Auras,
Ignotum ſpecie monſtrum mortalibus ægris.
Olli vultus ineſt hominis, faciéſque videri
Non inamœna potis, tortis vmbrata capillis
Fœmineum in morem, varius quàm deſuper ornat
Mundus, & ipſa duplex gemmis, auroq́ corona,
Maxilla igne furens, ac dentibus hirta leonum
Ora tenet, ſed labra tegunt latiſſima dentes.
A tergo caudam, ſeu ſcorpius ater acutam
Oſtentat, quæ tincta dolo, quæ tincta veneno
Incautos miſerè ſtygias amandat ad vndas:
Turpe pedes graciles, longa ſed veſte teguntur:
Aluus vaſta patens, in quam patrimonia tota
Inderet, & nunquam latebras impleret inanes.
Primus vt hic ergo vitales reperit auras,
Séque videt, moréſque ſuos Locuſta probari,
Arceſſit ſocios, ſociorum protinus agmen
Aduolat, inq́ modum ſe dirigit ordo phalangis,
Omnibus inſtrepitant humeris thoraces aheni,
Omnibus exultant fibræ, dat buccina ſignum.
Illi commotis vtrinque furentibus alis
Corripuere ſimul ſpatium, nimbisq́ eruntur
Effuſis ſimiles, ſonitúmque dedere per auras,
Qualem præcipites bello cùm ſæpe quadrigæ

Perq́ʒ hoſtes, pérque arma ruunt, & funera miſcent.
Quis paucis numeret paucis, quot menſibus oras
Ambierint, & qua paſſim ſint ſtrage vagati?
Nam Romæ primùm, fatis quæ debita ſedes,
Cum magna regem circa ſe mole locaſſent,
Exonerauerunt varios hinc inde colonos,
Qui vitas alibi quauis mercede mereri
Atque aliquas ad ſe poſſent auertere prædas:
Dum miſeri fluitant curas has inter & æſtus,
Ecce tibi optatam votis ſors attulit horam.
Luſitaniacis forſan regnabat in oris
Emanuël, idémque plagam quæ vergit ad Indum,
Quàm totam aut aſtu, totám-ve ſubegerat armis,
Nec iam vafritie poterat, nec marte tueri:
Anxius ergo modi rebus qui dexter agendis
Eſſet ad effrænes populos ditione tenendum,
Terrendos demum pietatis imagine duxit.
Hæc vbi ſediſſet penitus ſententia menti,
Quoſque rei huic poſſet dignos adhibere miniſtros,
Quærenti Locuſta ſuam regi obtulit vltrò
Militiam, gentémq; animis in vtrumque paratam
Seu verſare dolos, ſeu certæ occumbere morti,
Rex velut Hermæo quodam lætatus amicè
Suſcipit, & terris extemplò immittit eois.
Huc vbi cæliuagæ ſunt remige & alite planta
Allapſæ volucres, magno gens ilicet omnis
Viſendi ſtudio circum ſeſe vndique fudit.
Locuſtæ in numerum miros tunc edere motus,
Nunc crebri pulſare ſolum, nunc corpus in altum
Subijcere, aut pedibus ſurſum ſe tollere verſis:
Nunc vno ſtantes alio pede ducere gyrum,
Nunc capite pronos iacto, nunc ſemiſupino

Al-

Alternare vices,miſeræq́ illudere turbæ.
Quod genus hoc(clamãt omnes)hominũne deúmne,
Maſcula cui facies? pexique à vertice crines
Fœminei,cui tantæ pedum,cui duplicis alæ
Mobilitas,ac illa genis pellacia ridet?
Locuſta vt turbam circum ſe aſpexit hiantem,
Ingeminemus,ait, cupidæ ſpectacula turbæ:
Indutúſque nouos habitus accedit ad aram
Deſuper inſtructam faculis,& pegmate multo,
Pulſabant pueri crepitantia cymbala circum,
Dum cuncti genibus flexis , linguíſque fauerent,
Hoc vbi,tum ſtomacho crebros effundere flatus,
Tum glomerare ſonos,& tundere pectora palmis
Incipit, atque vnam decies iterare camœnam
Iſta probarentur populo præludia néc-ne
Locuſta addubitans,toto ſe corpore vertit,
Sicut agens aliud,tacitéque tuentibus hirquis
Vultus cunctorum indeprenſus & ora notauit
Mox aram repetens ſeu luderet hiſtrio bacchas
Bacchantes,ſeſe exagitat miſerabile viſu,
Nunc curuis humeris,nunc & ceruice ſupina,
Nunc vno aſpectans oculo, nunc captus vtróque,
Nunc ſolus pugnans ſibi ſecum , alternáque iactans
Brachia,nunc vanis irritans ictibus auras.
His intemperiis poſtquam defeſſus agendis
Soluitur in ſomnos,placidúque in pace quietus,
Noctiuagas per inane ſibi captare volucres
Viſus,& vmbrarum voces audire loquentum:
Expergefactus populum clamore ſalutat:
Ohe,eho,clarum lambit iam manè feneſtras,
Et nos impranſi tandudum ſtamus , amici?
Affer aquam,puer,& fungos emunge cadentes

E faculis tum ponè nates à veſte renuda
Aſſiſtens, nolámque manu quate creber ahenam
Interea ex alba cruſtum non grande farina
Ipſe ſubaptatum gemino ſub pollice preſſit,
Deſuper & madidos halauit ab ore ſuſurros:
Nec mora, fertur humi præceps, mox impete nixus
Surgit humo, foliúmque nitens à vertice tollit:
Tum calicem vino plenum, quem deinde propinet
Spectabant populi aram: ſimul ore fremebant,
Quæ nouitas? ille in digitos arrectus, & ipſos
Altus in articulos, leue cruſtum in fruſta ſecauit:
Tum linguam pingui cùm térque quatérque palato
Verſaſſet, ſummam exeruit, lambénſque iacentes
Attraxit partes, quas deficiente ſaliua
Non potis à ſummis detrudere faucibus, ori
Admouit pateram, ſorbillandóque pitiſſans
Et vinum & madidas micas ſimul impiger hauſit.
Tum Cereri matri grates, patríque Lyæo
Lætus agens, vtrique ſuas pro munere veſco
Occinit, hinc iuſſo multùm ſaluere theatro
Conuaſat gnauus, breuitérque recolligit omnes
Sarcinulas inibi, populúmque relinquit hiantem.
Herbea ſtat cunctis acies ſtupor omnibus vnus
Seu ſtatuis verſis in ſaxum Gorgone viſa
Nec fors amoueant ſeſe niſi deſuper imbrem
Irroret Locuſta ſacrum, atque a [illegible]ergine quadam,
Quam ſale, quàm nigris ſimul eſt medicatus Epodis,
Excitet attonitos ſenſus, vitámque refundat.
O quis pro meritis ſatis hæc miracula laudet,
Locuſtæq́; ſuos dignè moduletur honores!
Qui vocat à ſtygiis animas, quiq́ue admouet vmbris
Cùm libet, & ſenſus hominum de pectore vellit.

Tantis

Tantis exultans victor Locuſta triumphis
Huc miſit, qui flante tuba, lituóque ſonarent,
Séque modis ferrent cunctis ad ſydera cœli.
Fama iit, & turbæ Locuſtas pone ſecutæ
Extremas voluêre manu contingere veſtes,
Muneraq; ante pedes paſſim ſunt iacta volantum.
Viſendi ſtudio iuuenes per compita fuſi
Oſculáque ad genua plauſumq; dedere frequentes:
Locuſtæ, ex oculis quotquot potuere parentum
Eripere hauſerunt viuos, viuóſque viciſſim
Eiecere retro ſociorum in guttur hiantum,
Cernere neu quiſquam, neu furtum auertere poſſet.
Amiſſis natis patres fudere querelas
Exanimes, & dulcæ ſuæ fleuere ſenectæ
Præſidium, indigniſque modis ſua pignora rapta.
Atque aliquis mœrore graui ſic percitus infit,
Sacrilegæ volucres, tenebrarum orcique propago,
Quæ vos tempeſtas ventorum his attulit oris?
Quæ vos hos pueros penuria adegit edendi,
Viuáque ieiunas in corpora vertere malas?
Hoc pudor, hoc ſancti reuerentia ſuadet & æqui,
Et quod inhumanis nomen prætexitis auſis?
Ite malæ peſſum ite feræ, quibus omnibus ars eſt
Aucupium, & rerum nunquam ſatiabilis aluus.
Concuſſere caput, facilémque dedere cachinnum,
Locuſtæ, inq; alias conuerſi lumina prædas,
Omnigenam ad ſeſe turbam traxere loquendo,
Permixtas ſenibus vetulas, puerîſque puellas:
Atque hos nunc medio, nunc has ex agmine ſeorſim
Locuſtæ abducunt, & ſingula crimina diſcunt,
Theſauróſque & opes ima tellure repoſtas,
Tum ſic: tú-ne ſenex gelidæ iam proximus vrnæ

Diuitijs vadas aiunt, toti ſolus onuſtus?
Tunc puer nulla tactus dulcedine laudum
Ad cineres, primos agites inglorius annos,
Nec quicquam tentes, dum flos eſt integer æui
Quod ſerum meminiſſe iuuet:
Quin tu ſumma, ſenex, rerum eſt quæcumq; tuarum
His humeris impone libens, nos exoneratum
Ad ſuperos facili ſiſtemus tramite: túque
Chare puer nobiſcum aliquid ductoribus aude.
Ecce tibi hi chartas, argenti hi pondus & auri
Protinus apportant, plauſtris dona alta vehuntur,
Dona ſed aurigaſq; ipſos, atque ipſa locuſtæ
Plauſtra vorant, ſtomachoq́; ſtrues non officit hilum.
Protinus & iuuenum pubes ſimul affluit ingens,
Locuſtarum ante ora animis opibúſque parata
In quaſcunque velint ipſi deducere terras
Accipiunt paſſis vlnis, & brachia collo
Circumfuſa tenent: ſimul ô ſaluete ſalute,
O iuuenes, vobis ſimili ſi quicquid acerbum eſt:
Nobiſcum ſtat ſorte pati, ſi quicquid amœnum,
Aſſuite has humeris alas, hanc rite comantem
Cæſariem capiti: membris hanc omnibus aptam
Loricam, atq; ipſis adeo gracile ſcite ſuris
Scorpigenis demum caudas armate venenis.
Hoc dicto, tranare vias, atque agmine ferri,
Incipiunt acuuntq́; metum mortalibus ægris.
Fit, via vi: inuoluunt ſyluas, armenta viróſque,
Ac latè vaſtant hominúmque boúmque labores,
Nec tamen aut afflare luem pubentibus herbis
Interior quas ſuccus alit, conceſſa poteſtas,
Aut violare manu ſuperi quos virgula patris
Contigerat, numeróque ſibi ſignarat ab omni.

Quod

Quod reliquum genus omne hominum,genus omne
Omnigenis vexare modis,& ſternere Letho.(ferarū
Sed quamuis metas rerum, nec tempora ponant
Vlla ſibi,regnúmque mari,terráque peteſſant:
Quinque tamen tantùm graſſati menſibus anni
Aprili à tenero Septembris ad vſque calendas
Deficient,nec erunt terris ſuper amplius vlli:
Scilicet horrentis quando angelus ater abyſſi,
Perditione aſtúque potens,cui nomen Abaddon
Corruet,& mundi ſecum trahet ipſe ruinam.
O illi properate dies,ô tempora tardas
Præcipitate moras.O mi pars vltima vitæ
Tam longè ſuperet,dum te de nubibus altis
Labentem in terras videam:te ſecla paueſcant
Impia, Chriſte potens & tu flammatus ab ira
Obſcænas volucres ferro ſequaris & igni:
Súbque triumphantis pedibus gemet impius hoſtis.
Tempora iam nobis nimiumnimis illa morantur:
Chriſte veni, vindéxque tui tu nominis eſto.

Amen.

ANNOTATIONES IN LOCVSTAM.

Pag.43. *Cùm Satan* &c.Satan hæredem inſtituit Antichriſtum. *Nutrices pueró* &c. Antichriſti nutrices & miniſtri. *Prim a ſub bis* &c. Clerus Romanus. *Peioribus miniſtris*, Monachi. Pag.44. *Donec tempeſtas affulſit clara.* Euangelij reſtauratio monachorum expulſio. *Videt vt eſſe locum* &c. Monachis expulſis ſufficiuntur Locuſtæ. Pag.45. *Et ſimul obſcuro* &c. Locuſtæ deſcriptio ex 9. cap.Apocalyp. Pag.46. *Nam Roma* &c. Locuſtæ vbi primùm viſæ. *Luſitaniacis* &c. Primùm Emanueli Luſitaniæ regi ſeruiunt. *Locuſtæ innumera* &c. Locuſtæ ad Indos,vbi mirum in modum geſticulantur. Pag. 47. *Locuſta vt turbam* &c. Locuſtæ Indis theatricam miſſam exhibent. *Dum cuncti* &c. Confiteor. *Incipit,* &c. Kyrieleiſon. *Iſta probarentur* &c. Conuerſio ad populum. *His intemp.*&c. Memento. *Affer aquam* &c.Lauabo. Pa. 48. *Interea* &c.Eleuatio corporis Domini. *Spectabant* &c. Indi admirantur mimicas Ieſuitarum cæremonias. *Latus agens* &c. Ite miſſa eſt. *Herbea ſtat* &c.Stupor Indorum. *Niſi deſuper* &c. Aquæ benedictæ aſperſio.

EPISTOLARVM IESVITICARVM Libellus.

EPISTOLA PRIMA.

QVAM à me poſtulas, chariſsime frater, priuilegiorum Ieſuiticorũ deſcriptionem, ex Haſenmulleri, Ieſuitarum diſcipuli, hiſtoria decerptam accipe. Paulus III. Romanus Pontifex, Ieſuitis conceſſit poteſtatem: qua illis licet *pro libitu & arbitrio, in ſuæ ſocietatis vſum & incrementum, regulas & conſtitutiones tot quot volunt condere: quarum tamen omnium ſcopus & finis ſit, Conſeruatio Pontificiæ ſedis, ac Ieſuiticæ Societatis ampliatio.*

2. Ignatio Loiolę tribuit facultatem *recipiendi ſocios ſexaginta.* Ad hunc enim numerum Societas iſta circa annum 1540. reſtricta fuerat. Paulò poſt autem Pontifex definitum illum numerum in indefinitum auxit: ita vt nunc Ieſuitarum Generali liceat, *tot ſuſcipere ſocios, quot idoneos nanciſci poteſt.* Pontifex Ieſuitis ſuis adblandiens affirmat, per eos religionem capere incrementum: ſocios eſſe qui fidem dilatant, vt qui

qui ſint in Theologia exercitati, in academiis graduati, à Spiritu afflati, animarum zelantes.

3. Anno 1555. tribuit illis *facultatem concionandi, confeſſiones audiendi, & vota commutandi: abſoluendi item ab omnibus caſibus, etiam iis qui non ſunt in bulla Cœnæ Dominicæ comprehenſi, & ab iis etiam qui ſunt Pontificiæ ſedi ſoli reſeruati: vota, peregrinationes, &c. pro tempore commutandi: Miſſam ante diei exortum, & poſt Meridiem celebrandi: Eccleſiaſtica ſacramenta adminiſtrandi: officium Romanum nouum, non ex præcepto, ſed ex libertate dicendi.* Item, *vt Aſſiſtentes ſint & Cardinales, qui reſiſtentes Ieſuitis compeſcant, & rebelles in eos tollant.*

4. Alia bullâ, Paulus poteſtatem facit Ieſuitis *vt ſuos ſocios in certas diſtinguant ſpecies, admittant ſcilicet & ſuſcipiant coadiutores ſpirituales & temporales, Sacerdotes & Seculares.* Ne autem Seculares hi Coadiutores (Patrum Spiritualium miniſtri & ſerui, nempe ementes, vendentes, Coci, Sutores, Sartores, piſtores, &c) putent ſe non tot habere merita, quot conſequuntur illi qui etiam Profeſsionis ſummæ votum, quo ſeſe corporibus & animabus Papæ in mancipia tradunt, ſuſceperunt: ideo facit illis Patribus poteſtatem etiam *hos Coadiutores ad ſacros ordines promouendi, & participes reddendi meritorum, quibus gaudent Ieſuitæ profeſſi*, illi nempe qui peculiari voto ſe Papæ deuouerunt.

5. Bullâ Calendis Nouembr. anno 1549. emiſſa, Paulus Pontifex Ieſuitas mirum in modum commendat, quòd ſint ager fertilis in Domino,

quòd vberes animarum fructus pariant, quòd verbo & exemplo proſint, quòd ſint pij patres, & oculi mentis Papæ. Concedit præterea eorum Generali, quòd *poſſit abſoluere omnes hæreticos confitentes, cum irregularibus diſpenſare, abſolutos* (niſi ſocietatem ingredi vel vota emittere velint) *retrahere, cogere ſuos vt vel ipſi vel ei quem ordinauerit confiteantur.* Illius Generalis vult eſſe *Ieſuitas alium ordinem ſine venia ingreſſos, maximè apoſtatas* (vt loquuntur) *factos, aut in Societatem inſurgentes, vel contradicentes, vel illorum regulas in apertum producentes, vel illorum vota reuelantes, in quocunque habitu contigerit inueniri, excommunicare, & (ſi opus ſit) auxilio brachij ſecularis inuocato, liberè inuadere, captiuos ducere, coniicere in vincula, & tractare pro arbitrio.* Deinde, *Ipſam Societatem & Ieſuitarum bona, Pontifex ab omni ſuperioritate, iuriſdictione & correctione Omnium eximit, liberat, & in ſuam protectionem recipit.* Tribuit item eis, *Oratoria, & vſum altaris portatilis*: vt in Anglia & aliis Europæ locis, vnde eiecti ſunt, Miſſas clancularias & alia pontificia myſteria celebrent. Addit Bulla, *Nulli prælatorum, excepto Papa, licere, vel conceſſum eſſe conſtitutiones Ieſuitarum ſub cenſuram ſumere: aut ſumentem nihil efficere, illiúſque conatum nullius eſſe roboris.* Mandat etiam aliis hominibus, *vt Ieſuitas illorúmque ſubſtantias defendant.* Concedit item Ieſuitis eadem bulla, *vt tot Sacrificulos curent ab Epiſcopis Romanis radi, chriſmari, vngi & conſecrari, quot voluerint.* Permittit etiam *vt ad hæreticos accedant, in hæreticorum regionibus liberè*

berè commorari, & cum iiſdem verſari poſſint, de licentia tamen Generalis vel Præpoſiti, à quibus neceſſaria petent & recipient. Addit Bulla, *Non tenentur Ieſuitæ ſoluere bonorum decimam, vel aliam dare contributionem, ſeu procurationem, nec Papalem, nec Canonicalem portionem. Etiam ſi prius fuere illa bona ſub cenſu : niſi ſit id ſpecificè & expreßè in literis Apoſtolicis.* Ne quoque deſint homines, qui Ieſuitas in Papatu fulciendo adiuuent, dat illis facultatem *quoſcunque volunt irregulares & ſeculares recipere, & ad ſua miniſteria promouere.* Vt autem etiam Ieſuitarum ędes, collegia, templa, ſcholæ frequententur, imò venerentur, & (quod maius eſt) pro ſacroſanctis colantur, hominéſque in iis offerant : dicit Bulla, *Eum qui Ieſuitarum aliquam Eccleſiam, vel alium pium eorum locum, à Præpoſito ſignatum, ſemel in anno viſitauerit, indulgentiam plenariam omnium peccatorum conſequi.* Tandem in hac Bulla, eò quod etiam ad Indos vſq; proruperũt dat illis *poteſtatem abſoluendi etiam ab iis, quæ Papa ſibi in bulla cœnæ reſeruauit: omnia quæ ſunt Epiſcoporum peragere :* qualia ſunt ordinare, vngere, chriſmare, adiurare, exorcizare, confirmare, reformare, indulgentias diſtribuere, diuortia facere, cum conſanguineis diſpenſare, templa conſecrare, baptiſare campanas, ſtatuta noua facere, & alia conſimilia, pontificiorum epiſcoporum propria, à Chriſtianis autem epiſcopis, quos Sanctus Paulus in epiſtolis ſuis inſtituit, alieniſſima. Poſtremò, etiam vult, *ne quis his Ieſuitarum auſis ſe opponat, aut appellet ſuper ea.* Vult e-

tiam Principes, Prælatos, & alios in ſuo regno Pontificio iurare, ne quis Ieſuiticam Societatem inquietet, vel priuilegiis ſpoliet, vel impediat. Tale quid audentes anathemate ferit, & per ſecularis brachij gladium feriri præcipit.

6. Iulius Tertius XII. Calend. Aug. anno 1550. præcedentis Bullæ priuilegia confirmans, addidit inſuper, *omnes Epiſcopi curent, vt priora perpetuæ ſint facultatis, eaque inuiolabiliter obſeruent, niſi in omnipotentis Dei iram incurrere velint.* Die XXII. Octobris 1552. idẽ Iulius noua tribuit Ieſuitis priuilegia: nẽpe *licere profeſſis circa ieiunia & cibos prohibitos diſpenſare: hæreticos abſoluere: horas vel officium Miſſæ poſtponere: intra domorum & collegiorum ſuorũ priuatos parietes ſuos ad quoſcunque volunt gradus promouere.* Ne quis autem illos, vt qui publica non ſubierint examina, arguat, rideat, & contemnat, præcipit Pontifex, vt tales graduati, qualificati & formati, quaſi in publico id factum eſſet, in honore habeantur.

7. Pius Quartus, XIII. April. anno 1561. animaduertens Ieſuitas in ipſius Primatu defendendo diligentes, & ad omnia eſſe paratiſsimos, conceſsit illis *poteſtatem ædificandi collegia vbicunque velint.* Et mandat, vt in huiuſmodi conatibus Ieſuitas Parochi, Antiſtites & Epiſcopi tuuent: contradicentes autem ſeu impedientes coerceant. XIX. Auguſti eod. anno Ieſuitas *ab omnibus oneribus & grauaminibus tum Eccleſiæ, tum Reipublicæ exemit.* Nam præcipit, vt & ipſi & Collegia, & bona ipſorum, in perpetua libertate, ſine vllo iuramento (excepto quo Papę ſunt deuin-

deuincti) ſine omni vſura, fœnore, cenſura, decimis & exactionibus liberi relinquantur, tam in iis quæ iam poſsident, quàm quæ in illorum vſum futuris temporibus ſunt ventura: tam in domibus & collegiis, quàm in ciuitatibus & vniuerſitatibus. Nullum tributum, nullum cenſum, nullas decimas, de domibus, collegiis & feudis ſoluant: ſed ſua ab omni ſolutione exempta & libera poſsideant. Secundò, non vult vt Ieſuitæ, inſtar aliorum multorum Monachorum intra latibula ſua ſe contineant, ſed liberè ad omnes exeant, præceptores & profeſſores agant, vt vbique etiam, vbicumque ſperant ſe commoditatem habituros homines ad Eccleſiam Romanam adducendi, collegia & ſcholas erigant, Contradicentes vult grauiter puniri. Tertiò, tribuit illis facultatem ad gradus promouendi eos, præſertim pauperiores, quos publici Academiarum profeſſores admittere & promouere noluerint: vel etiam ditiores, quos interdum non eruditio, ſed vita minus probata excludit: ita tamen vt ſumptus cedant in vſum doctorum publicorum, vel iuribus vniuerſitatum. Et tali ratione promotos, iiſdem priuilegiis gaudere vult, quibus fruuntur qui publicè ſunt promoti.

8. Pius Quintus, VI. Calend. Februarij anno 1565. cùm ex Ieſuitarum relatione intelligeret quoſdam cognita noua hac ſodalitate ſtudiiſque perſpectis, pœnitentia ductos Societatem hanc reliquiſſe & vitam Politicam ſectari: vt his metum incuteret, & reliquos intra Societatis limi-

tes coarctaret, decreuit, vt *egredientes ex Societate, licentia Generalis vel Papæ, ſi alium ordinem ingredi velint, in nullũ alium quàm in Carthuſianorum recipiantur: Egredientes verò, ſine permiſſu Papæ vel Generalis, ſi in Romana Eccleſia permaneant, excommunicentur: ſi tranſeãt ad Eccleſiæ Romanæ aduerſarios, quibuſcumque fieri poterit artibus & inſidiis capiantur, incarcerentur, & ſecundum ius Pontificium cum ipſis procedatur.* Tandem ne Ieſuitæ aliorum etiam deſtituantur priuilegiis Pius concedit illis omnia priuilegia, quę ſunt mendicantium ordinibus conceſſa. Anno 1568. 5. Cal. Septembr. idem omnia priora Ieſuitarum priuilegia repetendo confirmat, omnes conſtitutiones probat, contractus concedit, & ab aliorum capitulis, pœna, & cenſura reddit immunes. Die x. Martij, anno 1571. aliâ bulla concedit Ieſuitis *facultatem liberè & publicè legendi, etiam vbi vniuerſitates ſunt*. Permittit etiam ſtudioſis quibuſque, vt eiuſmodi profeſſores aduentitios audiant, reclamantibus Ordinariis: qui ſi nolint Ieſuitarum auditores promouere, licet Ieſuitis illos promouere domi: eáque ratione Baccalaureos, Magiſtros, Licentiatos & Doctores creare: acſi ſua ſtudia iuxta Vniuerſitatum ſtatuta abſoluiſſent. Tandem ne Vniuerſitatum Rectores pro iure ſuorum priuilegiorum in Ieſuitas & illorum diſcipulos procedant, ac ceu illegitimos arceant: vult eos omnes excommunicari, qui vel impedire vel moleſtare Ieſuitas præſumunt. Paulò poſt, nempe die VII. Iulij concedit illis *omnia mendicantium priuilegia*, licet ipſi

pſi propria collegia habeant, & domos vbique ædificent. Alij Monachi peregrinantes Ieſuitas hoſpitio excipere nolebant: illiſque occurrentibus dicebant, Nobis eſtis ditiores, collegia habetis & ædes, ad eas diuertite. At noui Sodales impetrarunt à Pio Quinto, vt Monachi Ieſuitas diuerſari & pernoctare in illorum cœnobiis petentes recipere cogantur: niſi in Papæ indignationem incurrere, & pœnas dare velint.

9. Gregorius XIII. ſub pontificatus initium, Ieſuitis dedit *facultatem conſeruatores, Iudices, & aduocatos aſſumendi in quibuſuis cauſis. Illos autem iuuare renuentes, excommunicari iubet. Sic vt & ſub Eccleſiæ Romanæ cuſtodia, & politicorum tutela, liberè, abſque omni impedimento, res Papæ exequi poſſint.* Vult etiam vt Archiepiſcopi, & reliqui Clerici Ieſuitas laborantes vel periclitantes, cùm potentia, tum opibus iuuent: neque permittant, vt Ieſuitæ vel impediantur, vel moleſtentur, vel expellantur, vel bonis ſuis cedere cogantur. Anno 1573. prid. Calend. Mart. tribuit Ieſuitis (quod aliis clericis pontificiis minimè conceſſum eſt) *ſuas vt horas canonicas extra chorum, & vbi voluerint, recitent.* Concedit etiam, vt quandocunque voluerint, vel ante vel poſt vota ſuſcepta Sacerdotales ordines ſuſcipiant, modò ſint idonei. Ann. 1575. Ianuarij VIII. prorſus nouum illis conceſsit priuilegium. Quia enim putauit Ieſuitas reliquis clericis & monachis doctiores, eos *bibliothecarios Pontificios fecit, varias facultates illis tribuens circa librorum prohibitorum lectionem, emendationem, mutationem, inter-*

pretationem, abolitionem, expunctionem & concremationem. Præterea concedit illis facultatem emendandi Patrum Scripta, & Scholaſticorum ſuorum libros, atque authores veteres. Sequenti menſe Maio eiuſdem anni Gregorius ſuum fauorem totum in Ieſuitas effundens, tribuit & conceſsit illis omnibus *facultatem omnium ordinum & locorum priuilegiis, more ſuo, vtendi.* XI. Februarij, ann. 1576. præter ſuperiores immunitates concedit Ieſuitis, Gregorius etiam medendi facultatem, qua liceat illis, extra vſtionem, medicos & chirurgos agere. Menſe Iulio eiuſdem anni Gregorius Ieſuitas *eximit neceſſitate intereſſendi precibus, interceſſionibus, & funeratis aſſociationibus.* Interim tamen illorum eſt *animaduertere tam in clerum quàm in plebem, vt ritè & more Romano rectè, deuotè, reuerenter, ornatè & decenter iſta & alia ſacra pontificia peragantur. Epiſcopis prodant, qui multent pro ſuo arbitrio ſecus facientes.*

Aliorum Pontificum, qui Gregorio ſucceſſerunt, priuilegia Ieſuitis conceſſa, non minora prioribus fuiſſe, ſequentiū annorum hiſtoria probat. Nec miraberis id factum fuiſſe: imò quum Pontificiæ ſedi ruenti humeros ſuppoſuerint Ieſuitæ, oportuit Pontifices Romanos tam fidis ſatellitibus diligenter prouidere, ne quid detrimenti noua Secta, aliis monachorum ſectis ſupra modum exoſa, caperet: ſed incrementa caperet maxima, quæ ſeculi noſtri hiſtoria declarabit.

EPI-

EPIST. II.

Ieſuitarum, & aliorum, de Ieſuitica Secta, diſciplina, doctrina, Magiſtris, diſcipulis, variis, de Religione & politicis negotiis, opinionibus, Apophthegmatum ſpecimen.

MAgnum volumen exigis, chariſsime frater, nempe Ieſuiticorum apophtegmatũ volumẽ, ordine digeſtum. Ex Ieſuitarum diſcipulis Specimen aliquod ad te mitto, quod alij ordine ſequente proximo ſeculo diſponent, & innumeris Sententiis ornabunt, quæ nouæ Sectæ ingenium & artes nefarias prudentiori poſteritati patefacient.

1. Ignatium Loiolam, Hiſpanum militem, Ieſuitarum patrem, hominem fuiſſe caſtris armiſque aſſuetum & tam truculenta animi ferocitate præditum, vt quemuis obuium ſibi vel leues ob cauſas reſiſtentem percuteret & ferro transuerberaret. Hanc feritatem Ieſuita factus adeo non depoſuit, vt *Hoffæus*, Romæ in domo Ieſuitarum profeſſa Aſsiſtens, teſtatus ſit, eundem nonnullos ſocietatis ſuæ fratres flagellorũ ictibus ita confeciſſe, vt præmatura morte interierint. *Salmanaſſar* Neapolitanus Ieſuita confitetur Loiolam fuiſſe natura ferocem, durum, truculentum. *Carmen* ipſius effigiei ſubiectum teſtatur, quòd fuerit miles vanis iactatus in armis, Et qualis per vniuerſam vitam fuerit propria ipſius conſcientia ipſi dictauit, dum ſub vitæ ſinem (*Ribadeneirâ* Loiolitano præcone teſte) ſeipſum deteſtabilem dixerit, & profeſſus

fuerit,ſe indignum,qui honeſtè ſepeliretur.

2. *Iacobus Cruſius*, nouitiorum Ieſuitarum Rector Landſpergæ in Bauaria, Miles (inquiebat)eſſe debuit noſtræ Societatis pater: quia vt militis eſt totis viribus in hoſtem irruere, nec deſiſtere donec victor euadat: ita noſtrum eſt in omnes irruere qui Pontifici Romano reſiſtunt,illóſque conſiliis, dictis & ſcriptis, inuocato etiam brachio ſeculari,hoc eſt, igne & ferro, tollere & abolere: ſicut Pontifex,& noſtra vota contra Lutheranos ſuſcepta, volunt & mandant.

3. *Georgius Baderus*,Ieſuitarum per Bauariam prouincialis,Landſpergæ dicebat Haſenmullero, In vrbe Auguſta noſtri pacem non ſunt habituri, niſi curauerimus per ſuperiorem Senatum Euangelicas conciones (quas prædicabilia vocabat)tolli & eiici.Item, Noſtrorum(aiebat) conſiliis Euangelici concionatores Viennâ expulſi ſunt:ideo etiam noſtri iam ibi in pace docent,& rebus potiuntur pro animi votis. *Ieſuitæ Colonienſes* in ſua cenſura,Niſi (inquiunt)Lutherana religio ferro & igne tollatur, Eccleſia Romana pacem & tranquillitatem habere non poterit.

4. *Loiola* de ſuæ ſocietatis nomine conſultus, ſocios Ieſu ſuos dici voluit. Mei ſocij(inquit) nequaquam à meo nomine vel Ignatiani aut Loiolitæ dicantur: ſed titulus illorum ſit, Societas Ieſu.Nam cùm Romam pergerem, in via mihi apparuit Ieſus cum beata matre ſua, mihique dixit,vt ſodales ſibi conſcriberem,quia

paucos

paucos haberet, inter Clericos, fideles ſeruos: velle igitur ſe, vt hic meus ordo dicatur, *Compagnia di Gieſu*: *vel ſocietas Ieſu.* *Sed Franciſcani*, in Italia & Bauaria, Ieſuitas appellat Monachorum ſcorpiones & flagella: nec non iampridem conquesti ſunt, Ieſuitas ipſis eſſe Harpyas & Lamias, bona ipſorum paulatim deprædantes, & regna mundi ſub nominis Ieſu titulo, ad ſe rapientes. Si nobis (dicebant *Ingolſtadienſes* illi funigeruli) in illos poteſtas libera concederetur, nos cum noſtri ordinis fratribus, quorum vltra quinquaginta millia intra paucos dies conſcribere poſſumus, illos ex Germania depellere & funditus debere vellemus.

5. *Gregorius* XIII. pontifex Romanus legens Ieſuitarum Annales, ac conſiderans opera, quæ hinc inde Ieſuitarum artibus efficiuntur, dixit, Tot ſunt mihi millia Clericorum: ſed ſoli Ieſuitæ omnes ſuperant in regno noſtro ſtabiliendo: Digni ergo, qui etiam præ cæteris foueantur. Verbis effecta adiungit: Ieſuitis totam inſulam tribuens, in qua ædes multas deſtruxerunt, viduas expulerunt (vt & Auguſtæ, Ingolſtadij & aliis locis ab iiſdem factum eſt) & ampliſsimum Collegium, multorum regum palatia & arces magnificentia & ſplendore ſuperans, extrui curarunt, ad cuius ædificationem, vt ipſi Ieſuitæ retulerunt (verum an falſum dixerint, penes eos eſto) vigintiquinque auri tonnas prędictus Pontifex donauit.

6. Anno 1582. Landſpergæ quidam, nomine *Otto*, patria Vlmenſis, artem loculos conficien-

di edoctus,ſeſe ad Ieſuitarum ſocietatem contulit. Literarum ignarus, eas diſcere cupit. Rector obſtat,&, qualis,inquit,ad Societatem veniſti,talem te manere oportet. Cui ille, mi pater,ego veni vt diſcerem literas,non vt otioſam vitam abſque literis ducam. Rector ait, regulâ prohiberis. Tum ille,nondum in regulas iuraui. Ego aut literas diſcam, aut ad ſeculum redibo. Tunc Rector,Quia es Nouitius,neque vota feciſti,poteris alphabetum diſcere,tecum diſpenſabo. Verùm vt annus probationis fuit impletus, vota vt faceret iuſſus eſt: quibus ſuſceptis, dixit ei Rector, nunc in regularum iuraſti obedientiam,ac regulam proponit,iubens vt literis repudiatis ſe totum inſcitiæ traderet. His verbis autem regula concepta eſt: *Nemo eorum qui ad domeſtica miniſteria admittuntur, vel legere diſcat vel ſcribere: neque eum quiſquam doceat ſine Præpoſiti Generalis facultate: ſed ſatis illi erit ſancta cum ſimplicitate & humilitate Chriſto Domino noſtro ſeruire.* Otto obſequium ſe præſtiturum ſimulat:ſed nihilominus clam,maximè nocturno tempore, literas addiſcit. Magiſter nouitiorum vbi id cognouit,Ottonem ad Rectorem defert. Ille nouitio hanc iniungit pœnitentiam,vt culpam ſuam coram fratribus confiteatur, ſeſéque publicè in refectorio flagellet. Otto pœnitentiam ſubit,& nihilominus data occaſione literis inuigilat: donec tandem hanc ob cauſam ἀποσυνάγωγος factus eſt. Hac ratione parentibus cum vt mortuum lachrymantibus reſtitutus, & ad Chriſtum reductus eſt. Sicuti deinde ipſe,literis

ad

ad Ieſuitas miſsis, in quibus acriter eos, ceu pſeudoprophetas & impoſtores accuſat, teſtatus; ſuámque ἀπιστίαν cum lachrymis & fide deprecatus eſt.

7 Alia eſt regula, his verbis concepta: *Vnuſquiſque eorum qui ſocietatem ingrediuntur, conſilium Chriſti Domini noſtri ſequendo, exiſtimet ac ſtatuat, ſibi patrem, matrem, fratres, ſorores, & quicquid in mundo habeat eſſe relinquendum. Curent, vt omnem carnis affectum erga ſanguine iunctos exuant, & illum in ſpiritualem conuertant, eóſque diligant eo ſolùm amore, quem ordinata charitas exigit.* Atqui vt Euangelij doctrina non euertit politias, ita nec tollit affectus à Deo ordinatos, nempe honorem parentum, quem Ieſus ſuo exemplo confirmauit. Sed praxin regulæ Ieſuiticæ videamus. Erat Landſpergæ nouitius, nomine *Joannes*, artificio ſartor: hic cũ reliquis nouitiis animi gratia in campum procedit. Obuiam fit illi pater ſenio confectus, qui filium (quem ante annum non viderat) alloqui & ſalutare cupit. Filius verò faciem auertit tanquam ad horrendi monſtri occurſum: & ne patrem audiat accelerat greſſum. Pater ſenex filium inclamat: hoccine eſt mihi nutricationis gratiam referre? At ille ſurdus & mutus pergit. Pater è iuſta indignatione percitus, faxit Deus, inquit, ita fugias, vt nunquam redeas: & reliquis Ieſuitis ſilentibus, Hæc (ait) eſt pietas quam Ieſuitæ ſuos docent. Quis furor iſtud conſceleratum hominum genus Germaniæ inuexit? Vos-ne Ieſuitæ eſtis? Non Ieſu fratres, ſed Satanæ filij, qui tantum in

parentes impietatem filios doces. Abeat igitur in malam crucem iſte deneger filius meus, qui Chriſtianũ,vt decet,non ſe geſsit. Vbi domum deuentum eſt, *Rector* re audita Ioannis factum maximè probans: Macte virtute fili,inquit,qui patrem tibi elegiſti patres Societatis, quos te magis quàm patrem tuum amare oportet: eò quòd hic ſecularis ſit,illi ſpirituales. Factum dicto Hieronymi (per calcatum patrem perge ad Chriſtum)confirmare conatus eſt, & cuiuſdam Pariſienſis nouitij exemplo illuſtrare,qui ne quidem matris lachrymis permoueri potuerit, vt ex cœnobio pedem moueret. Addebat inſuper, parentibus,ſi eos à Societate Ieſuitarum abſtrahere conarentur,dicendum & ſcribendum eſſe, Vade poſt me,Satana: quòd non parentibus naturalibus, ſed Societatis patribus, obedientiam abſolutam vouerint.

8 *Iacobus Cruſius* quendam nouitium de deſerendo Ieſuitiſmo vt ad ſuos rediret cogitantem huiuſmodi verbis compellauit. Quid tibi curæ ſunt parentes? Audi Chriſtum & Ignatium. Hic monet vt naturalem ſeu carnalẽ autorem in ſpiritualem conuertamus: hoc eſt, omnem στοργὴν & dilectionem in patres Societatis transfundamus. Ille verò dicit, Qui non odit patrem & matrem ſuam, non eſt me dignus: hoc eſt,ſi vis in Societate viuere, neceſſe eſt vt parentes tuos,te ad ſeculum retrahere conantes,tanquam capitales hoſtes oderis,& fugias,atque Societatis amorem parentum dilectioni lõgè præferas. Hoc eſt enim naturalẽ erga parentes affectum in ſpiritualem con

lem cōuertere, vt ſanctus pater noſter Ignatius Loiola docuit. Quid tibi cū patre tuo? En pro patre ſeculari, recepiſti aliquot mille patres ſpirituales. Quid tibi cū matre tua? En mater tibi eſt Eccleſia Rom. & beata virgo Maria. Quid tibi cū fratrib'? En pro vno atq; altero fratre carnali tot habes fratres ſpirituales, quot ſunt Ieſuitę. Quid cum ſororib'? Tot ſunt tibi ſorores, quot ſunt in Romana eccleſia virgines. Quid cū tuis opibus & domibus? En pro vna domo tot pulchra collegia, tot amplas domos, atque tot reditus. Quid cum amicis? Iam tibi ſunt amici Papa Dei vicarius, Cardinales, Epiſcopi, Imperator, multi Reges & Principes, & omnes Catholici. Noli ergo Satanam audire, dicentem, Redi ad tuos, contrahe matrimonium, &c.

6 *Pater Joannes*, Auguſtæ ædilis, Landſpergæ habuit cōcionem in verba illa Diui Pauli, *ſpectaculū facti ſumus Deo Angelis & mundo*, anno 1583. Inter multa dixit quæ ſequūtur, Angeli ſæpe noſtro Patri Ignatio Loiolæ, & decē primis patribus, apparuerunt. Sic Xauerius, noſter Apoſtolus Indicus, ſæpius per Angelorum cuſtodiam ab hoſtium incurſu ſeruatus eſt. Erant aliquando Romæ noſtri primi patres magna rerum penuria oppreſsi, nec habebant vnde victitarent. Frater quidam in forum procedit, volens oſtiatim colligere victum. Dum autem in via erat, diuam virginem Mariam adorat, petens vt ea ſibi eos quos erat appellaturus propitios & liberales redderet. Verbis vix prolatis, En vir quidam nobilis, habitu indutus pretioſo, huic fratri nihil

petenti in manus dat centum nouos coronatos. Frater domum pergit, rem indicat Ignatio. Patres re cognita cacodæmonem fuiſſe arbitrantur, ac illuſionem ad ſeducendum inſtitutam. Accipiunt ergo coronatos, ad ſacramentum altaris accedunt, & inuocata beata Maria, reſponſum accipiunt, quòd illa fratrem ſe inuocantem exaudierit. Sic angeli (ſubiiciebat concionator Ieſuiticus) multis noſtris patribus cingulum caſtitatis dederunt, vt deinceps nullũ prorſus carnis motum ſenſerint.

10 Eadẽ concione gloriabatur ille ſuos eſſe inuictos exorciſtas: & ante paucos annos (inquiebat) cùm epiſcopus Viennenſis ac reliqui ſacerdotes ſeculares virginẽ dęmonio obſeſſã liberare vellẽt nihil effecerũt: vbi autẽ noſtri aduenerũt, de vna illa virgine eiecerũt 12652. id eſt duas legiones diabolorum. Quorum vltimum rector Viẽnenſis dicebat Lutheri fuiſſe magiſtrũ: quia multa dura in Ieſuitas dixiſſet. Addebat ille, In epiſtolis Indicis, quas noſtri euulgarũt, aliquoties legetis dæmones noſtris apparere, & noſtros diabolum filios ſuos appellare.

11 Idem conciõnator ſtatuã à Nebucadnezare in ſomnis viſam cum Ieſuitico ſodalitio cõparans, dicebat, Qualis fuit hæc ſtatua, talis etiam noſtra eſt ſocietas. Nã pater Ignatius Loiola noſtræ ſocietatis inuentor & perfector, erat homo grãdis, nobilis, magnus robore, ſublimis ſtẽmate, & cunctis hoſtibus terribilis. Hic ſanè *caput* habuit *aureum*, in quo noſtram ſocietatẽ Eccleſiæ Romanę ſaluberrimã inuenit. Hic primis ſocietatis

cietatis annis patres ſecum habuit planè aureos, hoc eſt viros præſtātiſsimos: qui, vt anno Domini 1540. à Paulo III pōtifice Romano ordinis noſtri cōfirmationē impetrarūt, aurei ſunt habiti, id eſt tales, qui ſint diuinitus ad ſalutē Eccleſiæ Romanæ dati: ac nō minus quàm aurū in pretio habiti. Iſtis decē primis patribus mortuis, *pectus & brachia de argēto,* id eſt alij patres ſecuti ſunt, qui nōnihil à feruore primæ caritatis, quā ad ſocietatem & Ro. eccleſiam attulerant, deficere, & in peius ruere cœperunt. Societas noſtra fuit primum ad numerum 60. adſtricta, neque tum plures recipere licebat. Et quo paucioreserāt, eò maiorē dabant operā, vt Spartam illis à pōtifice R. cōmiſſam exornarent. Vbi autem noſtra ſocietas nō tā qualitate quā quantitate augeri cœpit, *ventrē & femora* nacta eſt *ex ære*, hoc eſt, tales ſocios, qui vt plurimū ſunt (vt Paulus loquitur) ventres pigri, & quorū Deus vēter eſt, qui ſocietatē ingrediuntur, non vt languidū eccleſiæ Romanę ventrem curent, ſed vt vitæ otiū & ea quę ventris ſunt conſequātur. Qui ſunt æs tinniens, ſine humano affectu, fide, ſpe, & charitate. Alij femora ſua nō cingūt caſtitatis, ſed veneris cingulo, quorū etiā auribus Venus nō minus, quàm ſtulto æs tinniens gratū eſt. Dū autē quidam ex noſtris ea quæ vētris ſunt ſectantur, fit vt æs illorū in *ferrū* mutetur: hoc eſt, fiūt & ſunt duri inobediētia, impatiētes in paupertate, inuiti ſub iugo caſtitatis, ſicq; planè ad omnē pietatēferrei. Quidā etiā in fratres ſunt ferro duriores, in omnes dominari, nulli verò ſubeſſe cupientes. Qui-

bus etiam cælum ferreum eſt,etiam ſi diu in ſocietate perſeuerent:hoc eſt, non accipiunt χαρίσματα Spiritus ſancti:nõ ęmulantur noſtros primos Patres:non ſunt ſocietati vtiles:quos ſatius eſſet de corpore ſocietatis abſcindere, quàm illos (ceu inutilia terræ pondera) in illo ſaginare. Quidam etiam ita ferrei ſunt vt ad omnem exhortationẽ quaſi facti ſint ſurdi & muti, callum obduxerunt, ſiue culpentur, ſiue laudentur. Quidã autem ſunt omnino *lutei*,hoc eſt,tales qui quidẽ in aurea noſtra ſocietate viuũt, ſed cogitationibus & mẽte rebus luteis,id eſt,parentibus, amicis,& opibus adhærẽt.Hinc *dubiũ nõn eſt,noſtrã Societatẽ,vt ſubitò cœpit, ita ſubitò interituram, quia quotidie in peius ruit.* Neq; noſtris tam curæ eſt,vt Societas bonis,quàm multis quibuſcunq; augeatur. Tale,fratres,ſpectaculũ ſumus.Ne autẽ vt ſtatua illa cõminuamur,Alcumiſtã accedamus,qui nos doceat quomodo nos, qui lutũ ſumus,in aurum,transformare queamus.Alcumiſta ille eſt pater noſter Ignatius, hic in fornace ſocietatis nos coquit igni pœnitentiarũ, quibus nos renouat,& in aureos transformat homines. Ingrediamur igitur ſocietatis fornacem, exuramur,& à ſcoriis purgemur:quod fiet,ſi Superioris incudi nos poſuerimus ac paſsi fuerimus,nos malleis ieiuniorum,vigiliarum, ciliciorum, flagellorum,ac reliquis pœnitentiarum generibus renouari.Hæc Ieſuiticus concionator.

12 Cur Ieſuitæ pro ſuis miſsis,confeſsionibus, cõcionibus,nihil priuatim recipiãt,in cauſa eſſe dicunt regulam ab Ignatio pręſcriptam his verbis,

bis, *Omnes qui viuũt ſub obedientia ſocietatis recordẽtur, vt gratis dent, quæ gratis receperũt, nullam petentes mercedem propter miſſas, confeſſiones, conciones, & alias operas.* Iuxta hanc regulam cùm Canonici Auguſtani & alij Gregorio Roſepho Ieſuitarum Auguſtę degentium Rectori, & in primario vrbis templo concionatori 500. florenos in ſingulos annos offerrent, reſpondit *Roſephus*, Hac cõditione mihi eos recipere non licet: nam regula fert, vt quæ gratis accepi gratis communicem. Si autem Domini Canonici noſtrorum inopiam ſua copia iuuare cogitant, poterunt loco eleemoſynæ quicquid voluerint ad collegiũ noſtrum remittere. Nobis enim licet eleemoſynas nõ mercedẽ recipere. Sicq; ſingulis annis die natiuitatis Chriſti ad Ieſuitarũ collegiũ deferũtur 500. floreni aurei, quos iſti gratis recipiunt pro gratuitis Roſephi conionibus.

13 Nõnulli inter Ieſuitas confeſsionum auditores, inſcio Rectore, nummos à mulierculis & aliis confitentibus recipiunt & conuertunt in priuatos ſuos vſus. *Pater Ioannes*, Auguſtani collegij Ædilis, quum aliquoties in hoſpitio, non procul à Landſperga ſito, pro octo Sociis ſymbolum perſoluiſſet, ſciſcitatus vnde illam haberet pecuniam, reſpondit, ſunt antiqui nummi confeſsionales: ſed, fratres, ſilentiũ præſtate: alioquin oportet me reſtitutionis ſubire pœnitẽtiã.

14 *Iacobus Cruſius*, Rector Landſpergẽſis, pro cõcione alioquoties dixit, Nõ potiſsimũ ob hũc finẽ in Germaniam miſsi ſumus, vt Doctores, Cõcionatores, & Pręceptores in ſcholis & tẽplis

agamus:ſed vt operam demus, ne Lutherani ſeu Euangelici Proteſtantes maiora incrementa ſumant, ſed excindãtur. Si id noſtrates ab ortu Lutheri feciſſent, iam Eccleſia Romana in pace viueret. Verùm cauſâ nondum cecidimus: coniungamus mutuas operas, vires, & arma: tunc facilè poterimus illos exſtirpare. Ad hũc finem niſi omnia noſtra conſilia & actiones direxerimus, periculum eſt ne nobis idem quod intendimus faciant, & in foueam quam paramus hæreticis, ipſi noſtra negligentia incidamus.

15 Ad eũdem modum magnus ille Ieſuitarum fautor Andreas Fabricius Cæſarem hortatur, vt ſemur ſuum gladio accingat, neque patiatur hæreticos, hoc eſt, Lutheranos viuere. Quid enim, inquit, faciat vrſus in vinea, lupus in ouili, &c.

16 Pater *Th. Peltanus*, tempore comitiorum quorundam Auguſtæ habitorum, inter ſuos familiares dicebat, Nos tot tãtáq; patimur à ciuibus Auguſtanis. Si iam mihi Catholici (quorum in vrbe maior numerus eſt quàm Lutheranorũ) obedirent: ſuaderem vt omnes Lutheranos & occiderent. Sic enim pacem habituri eſſemus, & Papæ in nouo Calendario propagãdo ſatisfacere poſſemus: quod nũquam fiet quãdiù in medio noſtri Proteſtãtes viuere paſsi fuerimus.

17 *Antonius Poſſeuinus*, Ieſuitarũ inquiſitor per Germaniã, in libello, quẽ inſcripſit, Il Soldatto Chriſtiano, edito quũ papa Pius V. exercitũ in Galliã mitteret auxilio ſuis vt aduerſarios Pontificiæ ſedi de medio tollerent, ſcribit, Omnes Chriſtianos iure obligatos vt Pontificiam Re-

ligionem

ligionem contra Euangelicorum doctrinā totis viribus & proprij ſanguinis effuſione tueātur. Pacē & publicum bonū in Eccleſia Romana conſeruari nō poſſe affirmat, niſi hoſtes exterminētur. Tandem multis adductis, cōcludit, Niſi expuleritis eos, patrià, vxores, liberòs, parentes, amicos, & opes in tuto poſsidere nō poteritis. Et addit, Omnia veſtra infideles occupabunt: ſi nō eieceritis illos, non poteritis habere vſum ſacramentorum, neque concionem Catholicam, imò in periculum hæreſis incidetis, & in articulo mortis nō niſi ſceleratos miniſtros habebitis, qui vobis & corporis & animæ interitū creabūt. Poſtea belli duces hortatur, vt nihil omnino Euangelicis permittant, nec fidem datā ſeruent: Inquiſitores clādeſtinos in eos ſubornēt, domeſtica & inteſtina bella inter illos excitari curent: proditores ac ſicarios omnibus locis cōtra illos inſtituant: ducesqui aliter faciunt, in Eccleſiā R. peccare, inexcuſabiles reddi, & dānari affirmat.

Ne mirere, frater chariſsimè, quòd nomē noſtrum prioribus epiſtolis & ſequentibus non appoſuerim. Vides cū quibus hominibus ſit nobis negotiū. Horum quidē calamos atro felle fœdatos eſſe non neſcimus: ſed Ieſuiticas ſicas principum etiam iugula petentes, non pennas atramento tinctas, metuimus. Vale.

EPISTOLA III.

Speciminis apophthegmatum Ieſuiticorum continuatio.

PErgamus, chariſsimè frater, ego deſcribendo, tu legendo, Ieſuiticas perfectiones excu-

tere, & ſocios iſtos ex ſuis ſuorú mque verbis cognoſcere.

1 *Nobilis* quidã nõ procul à Lãdſperga arcẽ habens, votum paupertatis Ieſuiticum conſiderãs paulò propius dicebat, Si mendicarẽ vellẽ, mendicarem cum Ieſuitis. Illi enim non obolum vnũ aut alterum, ſed mille coronatos plærunque vna vice à Principibus aſportant.

2 Pater *Zieglerus* Stutgardianus, Ieſuitarũ Hallẽſiũ Oeconomus, continẽtiæ ſodalitatis nouę patronus, bellis fabellis ſuos recreare ſolebat. Inter multas affirmabat Romę fuiſſe patrẽ, nomine Beraldum, quem angelus de cælo miſſus, in templo Sancti Pauli extra vrbẽ, cingulo caſtitatis donaſſet, atq; miri iſtius cinguli oſtendebat reliquias. De Ignatio ſectæ patriarcha dicebat, quòd ab ingreſſu, vel à confirmatione Societatis, nullum prorſus ſenſiſſet carnis motũ. Idẽ narrabat ante aliquot annos Monachij in aula Bauariæ ducis fuiſſe Baroniſſam, forma & vultu adeo pulchram & elegantem, vt nulla ipſam æquaret: quæ in amorem patris cuiuſdam Ieſuitæ ſit rapta, cúmq; diu meditaretur qua ratione illo potiri poſſet, tandẽ ſimulaſſe morbum, patrémq; vocaſſe vt ſe confitentẽ audiret. Quo ingreſſo mox ipſam ianuas clauſiſſe, ac dixiſſe, Aut meã explebis voluntatẽ, aut clamabo quòd vi me volueris comprimere. Pater petiit vt ſe priùs ſecedere paululum illa permitteret: tũc ſuis excremẽtis (detur venia dicto) faciẽ ſuã illiniuit, & ad Baroniſſam redit, quę hominẽ coinquinatũ intuẽs amorẽ in odiũ vertit, illúmq; à ſe repulit. Hũc apologũ Ziegler' & ali

& alij ceu rē geſtā nouitiis ſuis proponūt,quum neq; patris neq; Baroniſſæ nomen indicare poſſint. Ita familias illuſtres elegantibus eiuſmodi narrationibus ſuis commendant.

3 *Bonauētura* Ieſuitarū Ingolſtadēſium Rector dicebat(reclamātibus tamen oppidi ciuib.)Tot habemus iuuenes & adoleſcentes forma, vultu, robore præſtantes: tantæ tamen ſunt continentiæ, vt ne carnis quidem igniculum in ipſis per confeſsiones animaduertere poſsimus.Eoſdem vocabat angelos ſuos terreſtres, qui Dei gratia, ceu cultro,omnē carnis fomitem præſcidiſſent: ita vt iuratam poſſent præſtare continentiam. Sed perfectionis illius Ieſuiticę hiſtorias horum diſcipulis & neophytis relinquamus: & quàm caſtis quæſtionibus iuniores mulierculas in confeſsionibus exagitent norunt multi.

4 Quū aliquoties Haſenmullerus Ieſuiticas impuritates *Gregorio Valētiano* & eidem *Bonauēturæ* in os exprobraret,Patres reſpōderunt, Societatis hoſtes & hęretici vanos eiuſmodi rumores ſpargunt. Si Veneri operam dare vellemus, occaſiones & media non deſunt: ſed ſcimus noſtros eſſe puros & perfectos:aut ſi qui ex noſtris lapſi ſunt, non ſtatim omnes tales eſſe oportet:quia gratia adiuti continentiæ votum obſeruare poſſunt.Homines ſumus,non angeli,dicebat alter.Id eſt,ſi non caſtè, ſaltem cautè, nec more Sacrificulorum & Canonicorum,qui propter res domeſticas,quibus ipſi præeſſe nō poſſunt,ancillis ſeu concubinis vtuntur.

5 Decrepitus quidā Ieſuita Romæprogenie Tur

ca, *pater Iulius*, apud Rectorē queſtus quod noctibus ſingulis corā lecto ipſi appareret virgo, quæ cithara ſuauiſsimè luderet, eū ad venerē & choreas ducendas pelliciens. Huic Rector ſuaſit, vt ſi virgo illa reuerteretur, de lecto ſurgeret, diſciplinā, hoc eſt, flagellū arriperet, ſéque tā diu flagellaret, donec illa canere deſineret. Iulius obedientiā prę̨ſtans, cùm ſequenti nocte ad citharam ſe flagellaret, ſanguíſq; de tergo flueret, virgo illa canere deſiit, dixitq;, O pater ſancte, ego famula ſum beatæ Mariæ, miſſa vt tuam caſtitatem probarē: pugnaſti acriter, viciſti fortiter: en tibi virginitatis corona, quā beata Dei genitrix ad te mittit. Perge, & perſeuera: recipies vitę æternę coronam immarceſcibilem, in choro caſtarum virginum, quibus te tuis meritis dignū feciſti. Sícq; diſparuit. Hæc (inquit Haſenmullerus) ab ipſo patre Iulio audiui: monſtrauit mihi etiā coronā, quæ erat ex variis floſculis cōferta, quā deinde illi in ſuarū reliquiarum theſaurum retulerunt. Patrem verò illum qui fortaſsis à Mahumete olim huiuſmodi apparitiones didicerat, quaſi pro diuo coluerunt, ſanctū & angelicum vocantes. Si qui alij poſtea fratres maiores carnis ſtimulos ſentiebant, illis magna cum reuerētia Iulij Turcæ imponebant coronam. Qui & ipſi fingebāt ſe iam nihil amplius ſentire, quo in voto caſtitatis ſeruando impedirentur.

6 In continentiæ voti explicatione ſocij iſti in ſanctum & à Deo inſtitutum coniugium, & in ſexū fœmineū, quaſi fœminæ ex beſtiis eſſent prognatæ & à Deo damnatæ contumelioſè & blaſphemè

blaſphemè debacchari ſolent. Nonnullos noui, inquit Haſenmullerus, qui nihil voluerunt edere quod à muliere coctum ſciebant. Alios dicentes audiui: quoties de fœmina cogito, toties ſtomachus meus & bilis commouentur & conturbantur. Alius dicebat: tædet pudétque me, quòd à muliere ſum in hanc lucem editus: dignus certè, cui vacca fuiſſet genitrix. Alij nihil prorſus boni in tota mulieris ſubſtantia eſſe dicunt. Síque ex illis quidam cæteros in harum calumniarum paleſtra vincere conantur: illi ad mentionem mulieris expuunt & in tabula maledicos & in ſexum fœmineum contumelioſos Mantuani verſus (quos tamen is non niſi de malis cecinit) deſcriptos ob oculos ponunt, vt ſic in ſeipſis maius in mulieres odium excitent. Bononię in Italia, in conferentia, hoc eſt, in lectionis repetitione, quærebat nouitius ex Rectore: Reuerende pater Rector, eſt nobis seriò iniunctum, vt omnia mulierum atque virginum colloquia vitemus, & nec Aue ipſis dicamus, quę res mihi videtur impia & impoſsibilis. Nam naturali quodã impetu & amore mulieres amplector: neque earum, etiamſi volo, obliuiſci poſſũ. Cupio ergo cognoſcere, quomodo omnem amorem erga illas excutere poſsim. Rector reſpondit, Non eſt iſte amor naturalis ſed eſt belluinus & ſęuus impetus qui à deuoto & religioſo homine erga mulieres ſuſcipitur. Noſtrę vocationis eſt, mulieres omnes deuitare ſicut peſtem, pręterquam beatam Mariam Virginem & ſanctam Romanam Eccleſiam, quæ eſt

omnium noſtrorũ mater. Has duas & non alias diligamus. Deinde beſtialis ille amor cõuertendus eſt in ſpiritualẽ, hoc eſt, vt nihil amare velis quàm quod ſocietatis ſpiritus tibi amandũ proponit. Si vis amare, vt ameris, dilige Societatis patres & ſanctam Eccleſiam Romanam. Si tibi ſecularium mulierum amor obrepit: cogita Satanam tecum loqui, vt cum Eua: nõ vt ſalueris, ſed vt damneris. Tandem, ſi mulier tibi occurrit, oculos auerte: ſi te alloquitur, dic: vade poſt me Satana: Mulier, quid mihi tecum eſt?

7 Quoad obedientiæ votũ, vult Ignatius vt ſi ad aliqua ſeruitia naturæ ſuæ repugnãtia & ſenſibus cõtraria ducãtur noui ſocij, ceu cæci ſequantur. Si Rector cuipiã dicat, ſe illũ ad mactationẽ ducturum & immolaturum, ceu agnus ſine murmure ſequatur, ac vt Iſaac non ſolùm ligna, ſed etiam ſi opus ſit ferrum offerat: ſicuti *Bobadilla* Haſenmullero dixit Romæ, 1. Auguſti 1583. Quocunque iuſſu & mandato à Superiori mittitur, voluntate, iudicio & intellectu nutum Rectoris, ceu cæcus manum ac tactum ducentis, ſequatur. Si duris afficitur pœnitentiis, à patribus reprehenditur, à fratribus contemnitur, & calcibus etiam impetitur, imò ſi omnes in eum expuant, ſuámq; libidinẽ, vt Ieſuita *Bonauentura* dicebat, adimplere in eo conentur, inſtar cadaueris ſeſe habeat, ac ſi planè eſſet mortuus. Hæc & alia eiuſmodi reſpiciunt Ignatij regulã qua dicit obediẽdũ eſſe ſuperiori tanquã Chriſto in omnibus rebus vbi non cognoſcitur peccatum. At ſi conſciẽtia cauterio hypocriſeos reſecta depuduerit,

& do-

& dolere ac ſentire deſierit, quibus & quàm nefandis ſceleribus hæc regula viam aperiet!

8 Anno 1584. Februarij 14. die, *Iacobus Cruſius*, Societatis regulas explicãs, dicebat, Noſter decalogus eſt regula votorum ab Ignatio Loiola tradita. Suam quoq; Societatem arcæ Noæ, fiſcellę Moſis, agro, vineæ, grano ſinapis, luci, ſoli, equo Troiano, horto Alcinoi, & Paradiſo terreſtri cõparare ſolet. Quòd in hac ſola, vti idem Cruſius perhibebat, homo viuat puriſsimè, cadat rariſsimè, ſurgat velociſsimè, ambulet ſimpliciſsimè, viuat Spiritu ſecuriſsimè, recolligat ſe facillimè, purget ſe citiſsimè, moribus ſtudeat libentiſsimè: ac tandem propter regularum obſeruantiam recipiat præmium ampliſsimè: maximè ſi in obedientiæ voto cuſtodiendo habuerit ſe conſtantiſsimè. Talis, inquiunt, ſimilis erit Chriſto, qui Patri ſuo vſque ad mortem crucis obediuit. Sicuti de obedientiæ merito multa collegerunt, in *Sommario delle conſtitutioni*, à regula 32. vſque ad 38. in quibus ſuos Superiores Chriſtum, eorum mandata Chriſti ſermonem, Inferiores verò ſeruos & deuotoria mancipia, ſeu (vt illorum verbis vtar) animalia bruta & cadauera faciunt.

9 Eodem anno 1584. Sacerdos Ieſuita nomine *Henricus* alumnorum ducis Bauariæ in contubernio Albertino Ingolſtadij Regens & Oeconomus, die Veneris hebdomadæ ante paſcha, ſuis diſcipulis dixit: Per hoc ſacrum ieiunij tempus vos libenter audiuiſtis hiſtoriam paſsionis Chriſti ex quatuor Euangeliſtis: feciſtis mul-

tas pœnitentias ieiuniis, vigiliis, orationibus, peregrinationibus, ciliciis, ferulis, & flagellis, quibus vos Chriſto conformaſtis,& eius paſsionem adimpleuiſtis, & pro peccatis veſtris ſatiſfeciſtis. Sed dico vobis, nihil iſta omnia vobis proderunt, ſi non iuxta præſcriptum noſtri Superioris cras omnes & ſinguli peccata veſtra confeſsi fueritis,& Sacramentum more Catholico ſumpſeritis. Quia hæc ſancta mandat Ecclesia Romana, quam in omnibus audire debemus. Addebat: Libenter audire conciones multas, & libenter ac ſæpius legere ſacram Scripturam id profectò non eſt ſignum boni Catholici, ſed potiùs hęretici, qui ſe iſtis rebus ceu ſimia nuce, delectant. Verus autem Catholicus non multùm delectatur concionibus, quæ citò ceu ventus tranſeunt: neque lectione capitur Scripturæ, ſiquidem ea mortua eſt litera, quam non intelligit: ſed vnica eius voluptas eſt, audire multas Miſſas, & ſæpius confiteri. Hæc qui negligit aut cõtemnit grauius peccat quàm qui in omni vita ſua nullam vnquam concionem audiuit nec Biblia vidit. Exhortatione finita, Haſenmullerus (cui Henricus familiariter notus erat) hominem aggreſſus interrogat, vnde iſta probaret? Addit, Sapere ipſius dicta Phariſaiſmum. Cui Henricus, Audi, inquit: Sancta mater Ecclesia Romana ſic ſtatuit, cui ſi non ſimpliciter obediueris bonus Catholicus non eris. Ecclesia Romana non Verbum, Verbum, aut Scripturã, Scripturam, vt faciunt hæretici, ſed Miſſam & confeſsionem inculcat. Hanc ergo audiamus: quia

quia hæc (inquit) eſt magiſtra, eſt viua Dei lex & litera. Scriptura autem eſt litera mortua, nihil contra Eccleſiæ Romanę authoritatem decernens, vt nec filia contra matrem, nec ſeruus aut diſcipulus contra Dominum & Magiſtrum ſuum.

10. Romæ in domo Ieſuitarum profeſſa pater *Turrianus* dedit Nouitio vaſculũ vino Græco repletum, dixítque, Vade & in cloacam effunde. Frater cogitat, non effundam, ſed abibo, & ſimulabo meeffudiſſe. Turrianus aliũ mittit, qui fratrem obſeruet. Is videns fratrem vinum abſcondiſſe, illum defert Turriano, qui pœnitentiam hanc imponit vt inobediens mendacium ſuum coram fratribus cofiteretur, & per octiduum vino abſtineret, Idem alteri Nouitio vinum reddit effundendum, qui protinus abit & mandatum exequitur, vinum in cloacam effundens. Hunc pater commendauit, vinúmque priori ademptum obedienti fraterculo conceſſit ebibendum.

11. Apud Sanctum Andream in monte Di Caballo Romæ *Octauianus* Pater Nouitio cùm expiaretur dixit, Vade & in hoc ſtercore te voluta, ſicque domum perge. Nouitius ſe in cœno huc illúcque verſat, & domum redit porcellus cunctis videntibus riſum exhibens, Quē vt Rector vidit, quid actum eſſet audiens, ait, Vade ad Sartorem téque nouis indumentis indui cura. Hoc enim promeruit obedientiæ tuæ virtus.

12. Landſpergæ *Chriſtophorus Zieglerus* Noui-

bus etiam cælum ferreum eſt,etiam ſi diu in ſocietate perſeuerent:hoc eſt, non accipiunt χαρίσματα Spiritus ſancti:nō ęmulantur noſtros primos Patres:non ſunt ſocietati vtiles:quos ſatius eſſet de corpore ſocietatis abſcindere, quàm illos (ceu inutilia terræ pondera) in illo ſaginare. Quidam etiam ita ferrei ſunt vt ad omnem exhortationē quaſi facti ſint ſurdi & muti, callum obduxerunt, ſiue culpentur, ſiue laudentur. Quidā autem ſunt omnino *lutei*,hoc eſt,tales qui quidē in aurea noſtra ſocietate viuūt, ſed cogitationibus & mēte rebus luteis,id eſt,parentibus, amicis,& opibus adhærēt.Hinc *dubiū nōn eſt,noſtrā Societatē,vt ſubitò cœpit, ita ſubitò interituram, quia quotidie in peius ruit.* Neq; noſtris tam curæ eſt,vt Societas bonis,quàm multis quibuſcunq; augeatur. Tale,fratres,ſpectaculū ſumus. Ne autē vt ſtatua illa cōminuamur,Alcumiſtā accedamus,qui nos doceat quomodo nos, qui lutū ſumus,in aurum,transformare queamus. Alcumiſta ille eſt pater noſter Ignatius, hic in fornace ſocietatis nos coquit igni pœnitentiarū, quibus nos renouat,& in aureos transformat homines. Ingrediamur igitur ſocietatis fornacem, exuramur,& à ſcoriis purgemur:quod fiet,ſi Superioris incudi nos poſuerimus ac paſſi fuerimus,nos malleis ieiuniorum,vigiliarum, ciliciorum, flagellorum,ac reliquis pœnitentiarum generibus renouari.Hæc Ieſuiticus concionator.

12 Cur Ieſuitæ pro ſuis miſsis,confeſsionibus, cōcionibus,nihil priuatim recipiāt,in cauſa eſſe dicunt regulam ab Ignatio pręſcriptam his verbis,

bis, *Omnes qui viuũt ſub obedientia ſocietatis recordẽtur, vt gratis dent, quæ gratis receperũt, nullam petentes mercedem propter miſſas, confeſſiones, conciones, & alias operas.* Iuxta hanc regulam cùm Canonici Auguſtani & alij Gregorio Roſepho Ieſuitarum Auguſtę degentium Rectori, & in primario vrbis templo concionatori 500. florenos in ſingulos annos offerrent, reſpondit *Roſephus*, Hac cõditione mihi eos recipere non licet: nam regula fert, vt quæ gratis accepi gratis communicem. Si autem Domini Canonici noſtrorum inopiam ſua copia iuuare cogitant, poterunt loco eleemoſynæ quicquid voluerint ad collegiũ noſtrum remittere. Nobis enim licet eleemoſynas nõ mercedẽ recipere. Sicq; ſingulis annis die natiuitatis Chriſti ad Ieſuitarũ collegiũ deferũtur 500. floreni aurei, quos iſti gratis recipiunt pro gratuitis Roſephi conionibus.

13 Nõnulli inter Ieſuitas confeſsionum auditores, inſcio Rectore, nummos à mulierculis & aliis confitentibus recipiunt & conuertunt in priuatos ſuos vſus. *Pater Joannes*, Auguſtani collegij Ædilis, quum aliquoties in hoſpitio, non procul à Landſperga ſito, pro octo Sociis ſymbolum perſoluiſſet, ſciſcitatus vnde illam haberet pecuniam, reſpondit, ſunt antiqui nummi confeſsionales: ſed, fratres, ſilentiũ præſtate: alioquin oportet me reſtitutionis ſubire pœnitẽtiá.

14 *Jacobus Cruſius*, Rector Landſpergẽſis, pro cõcione alioquoties dixit, Nõ potiſsimũ ob hũc finẽ in Germaniam miſsi ſumus, vt Doctores, Cõcionatores, & Pręceptores in ſcholis & tẽplis

agamus:ſed vt operam demus, ne Lutherani ſeu Euangelici Proteſtantes maiora incrementa ſumant, ſed excindãtur. Si id noſtrates ab ortu Lutheri feciſſent, iam Eccleſia Romana in pace viueret. Verùm cauſâ nondum cecidimus: coniungamus mutuas operas, vires, & arma: tunc facilè poterimus illos exſtirpare. Ad hũc finem niſi omnia noſtra conſilia & actiones direxerimus, periculum eſt ne nobis idem quod intendimus faciant, & in foueam quam paramus hæreticis, ipſi noſtra negligentia incidamus.

15 Ad eũdem modum magnus ille Ieſuitarum fautor Andreas Fabricius Cæſarem hortatur, vt femur ſuum gladio accingat, neque patiatur hæreticos, hoc eſt, Lutheranos viuere. Quid enim, inquit, faciat vrſus in vinea, lupus in ouili, &c.

16 Pater *Th. Peltanus*, tempore comitiorum quorundam Auguſtæ habitorum, inter ſuos familiares dicebat, Nos tot tãtáq; patimur à ciuibus Auguſtanis. Si iam mihi Catholici (quorum in vrbe maior numerus eſt quàm Lutheranorũ) obedirent: ſuaderem vt omnes Lutheranos occiderent. Sic enim pacem habituri eſſemus, & Papæ in nouo Calendario propagãdo ſatisfacere poſſemus: quod nũquam fiet quãdiu in medio noſtri Proteſtãtes viuere paſsi fuerimus.

17 *Antonius Poſſeuinus*, Ieſuitarũ inquiſitor per Germaniã, in libello, quẽ inſcripſit, Il Soldatto Chriſtiano, edito quũ papa Pius V. exercitũ in Galliã mitteret auxilio ſuis vt aduerſarios Pontificiæ ſedi de medio tollerent, ſcribit, Omnes Chriſtianos iure obligatos vt Pontificiam Religionem

ligionem contra Euangelicorum doctrinā totis viribus & proprij ſanguinis effuſione tueātur. Pacē & publicum bonū in Eccleſia Romana conſeruari nō poſſe affirmat, niſi hoſtes extermināentur. Tandem multis adductis, cōcludit, Niſi expuleritis eos, patriā, vxores, liberos, parentes, amicos, & opes in tuto poſsidere nō poteritis. Et addit, Omnia veſtra infideles occupabunt: ſi nō ejeceritis illos, non poteritis habere vſum ſacramentorum, neque concionem Catholicam, imò in periculum hæreſis incidetis, & in articulo mortis nō niſi ſceleratos miniſtros habebitis, qui vobis & corporis & animæ interitū creabūt. Poſtea belli duces hortatur, vt nihil omnino Euangelicis permittant, nec fidem datā ſeruent: Inquiſitores clādeſtinos in eos ſubornēt, domeſtica & inteſtina bella inter illos excitari curent: proditores ac ſicarios omnibus locis cōtra illos inſtituant: duces qui aliter faciunt, in Eccleſiā R. peccare, inexcuſabiles reddi, & dānari affirmat.

Ne mirere, frater chariſsimè, quòd nomē noſtrum prioribus epiſtolis & ſequentibus non appoſuerim. Vides cū quibus hominibus ſit nobis negotiū. Horum quidē calamos atro felle fœdatos eſſe non neſcimus: ſed Ieſuiticas ſicas principum etiam iugula petentes, non pennas atramento tinctas, metuimus. Vale.

Epistola III.

Speciminis apophthegmatum Ieſuiticorum continuatio.

PErgamus, chariſsimè frater, ego deſcribendo, tu legendo, Ieſuiticas perfectiones excu-

tere, & ſocios iſtos ex ſuis ſuorú mque verbis cognoſcere.

1 *Nobilis* quidā nō procul à Lādſperga arcē habens, votum paupertatis Ieſuiticum conſiderās paulò propius dicebat, Si mendicarē vellē, mendicarem cum Ieſuitis. Illi enim non obolum vnū aut alterum, ſed mille coronatos plærunque vna vice à Principibus aſportant.

2 Pater *Zieglerus* Stutgardianus, Ieſuitarū Hallēſiū Oeconomus, continētiæ ſodalitatis nouę patronus, bellis fabellis ſuos recreare ſolebat. Inter multas affirmabat Romę fuiſſe patrē, nomine Beraldum, quem angelus de cælo miſſus, in templo Sancti Pauli extra vrbē, cingulo caſtitatis donaſſet, atq; miri iſtius cinguli oſtendebat reliquias. De Ignatio ſectæ patriarcha dicebat, quòd ab ingreſſu, vel à confirmatione Societatis, nullum prorſus ſenſiſſet carnis motū. Idē narrabat ante aliquot annos Monachij in aula Bauariæ ducis fuiſſe Baroniſſam, forma & vultu adeo pulchram & elegantem, vt nulla ipſam æquaret: quæ in amorem patris cuiuſdam Ieſuitæ ſit rapta, cúmq; diu meditaretur qua ratione illo potiri poſſet, tandē ſimulaſſe morbum, patrémq; vocaſſe vt ſe confitentē audiret. Quo ingreſſo mox ipſam ianuas clauſiſſe, ac dixiſſe, Aut meā explebis voluntatē, aut clamabo quòd vi me volueris comprimere. Pater petiit vt ſe priùs ſecedere paululum illa permitteret: tūc ſuis excremētis (detur venia dicto) faciē ſuā illiniuit, & ad Baroniſſam redit, quę hominē coinquinatū intuēs amorē in odiū vertit, illúmq; à ſe repulit. Hūc apologū Ziegler⁹

& ali

& alij ceu rē geſtā nouitiis ſuis proponūt, quum neq; patris neq; Baroniſſæ nomen indicare poſſint. Ita familias illuſtres elegantibus eiuſmodi narrationibus ſuis commendant.

3 *Bonanctura* Ieſuitarū Ingolſtadēſium Rector dicebat (reclamātibus tamen oppidi ciuib.) Tot habemus iuuenes & adoleſcentes forma, vultu, robore præſtantes: tantæ tamen ſunt continentiæ, vt ne carnis quidem igniculum in ipſis per confeſsiones animaduertere poſsimus. Eoſdem vocabat angelos ſuos terreſtres, qui Dei gratia, ceu cultro, omnē carnis fomitem præſcidiſſent: ita vt iuratam poſſent præſtare continentiam. Sed perfectionis illius Ieſuiticę hiſtorias horum diſcipulis & neophytis relinquamus: & quàm caſtis quæſtionibus iuniores mulierculas in confeſsionibus exagitent norunt multi.

4 Quū aliquoties Haſenmullerus Ieſuiticas impuritates *Gregorio Valētiano* & eidem *Bonauēturæ* in os exprobraret, Patres reſpōderunt, Societatis hoſtes & hęretici vanos eiuſmodi rumores ſpargunt. Si Veneri operam dare vellemus, occaſiones & media non deſunt: ſed ſcimus noſtros eſſe puros & perfectos: aut ſi qui ex noſtris lapſi ſunt, non ſtatim omnes tales eſſe oportet: quia gratia adiuti continentiæ votum obſeruare poſſunt. Homines ſumus, non angeli, dicebat alter. Id eſt, ſi non caſtè, ſaltem cautè, nec more Sacrificulorum & Canonicorum, qui propter res domeſticas, quibus ipſi præeſſe nō poſſunt, ancillis ſeu concubinis vtuntur.

5 Decrepitus quidā Ieſuita Romæ progenie Tur

ca, *pater Julius*, apud Rectorē queſtus quod noctibus ſingulis corā lecto ipſi appareret virgo, quæ cithara ſuauiſsimè luderet, eū ad venerē & choreas ducendas pelliciens. Huic Rector ſuaſit, vt ſi virgo illa reuerteretur, de lecto ſurgeret, diſciplinā, hoc eſt, flagellū arriperet, ſéque tā diu flagellaret, donec illa canere deſineret. Iulius obedientiā præſtans, cùm ſequenti nocte ad citharam ſe flagellaret, ſanguíſq; de tergo flueret, virgo illa canere deſiit, dixítq;, O pater ſancte, ego famula ſum beatæ Mariæ, miſſa vt tuam caſtitatem probarē: pugnaſti acriter, viciſti fortiter: en tibi virginitatis corona, quā beata Dei genitrix ad te mittit. Perge, & perſeuera: recipies vitę æternę coronam immarceſcibilem, in choro caſtarum virginum, quibus te tuis meritis dignū feciſti. Sícq; diſparuit. Hæc (inquit Haſenmullerus) ab ipſo patre Iulio audiui: monſtrauit mihi etiā coronā, quæ erat ex variis floſculis cōſerta, quā deinde illi in ſuarū reliquiarum theſaurum retulerunt. Patrem verò illum qui fortaſsis à Mahumete olim huiuſmodi apparitiones didicerat, quaſi pro diuo coluerunt, ſanctū & angelicum vocantes. Si qui alij poſtea fratres maiores carnis ſtimulos ſentiebant, illis magna cum reuerētia Iulij Turcæ imponebant coronam. Qui & ipſi fingebāt ſe iam nihil amplius ſentire, quo in voto caſtitatis ſeruando impedirentur.

6 In continentiæ voti explicatione ſocij iſti in ſanctum & à Deo inſtitutum coniugium, & in ſexū fœmineū, quaſi fœminæ ex beſtiis eſſent prognatæ & à Deo damnatæ contumelioſè & blaſphemè

blaſphemè debacchari ſolent. Nonnullos noui, inquit Haſenmullerus, qui nihil voluerunt edere quod à muliere coctum ſciebant. Alios dicentes audiui: quoties de fœmina cogito, toties ſtomachus meus & bilis commouentur & conturbantur. Alius dicebat: tædet pudétque me, quòd à muliere ſum in hanc lucem editus: dignus certè, cui vacca fuiſſet genitrix. Alij nihil prorſus boni in tota mulieris ſubſtantia eſſe dicunt. Síque ex illis quidam cæteros in harum calumniarum paleſtra vincere conantur: illi ad mentionem mulieris expuunt & in tabula maledicos & in ſexum fœmineum contumelioſos Mantuani verſus (quos tamen is non niſi de malis cecinit) deſcriptos ob oculos ponunt, vt ſic in ſeipſis maius in mulieres odium excitent. Bononię in Italia, in conferentia, hoc eſt, in lectionis repetitione, quærebat nouitius ex Rectore: Reuerende pater Rector, eſt nobis ſeriò iniunctum, vt omnia mulierum atque virginum colloquia vitemus, & nec Aue ipſis dicamus, quę res mihi videtur impia & impoſsibilis. Nam naturali quodã impetu & amore mulieres amplector: neque earum, etiamſi volo, obliuiſci poſſũ. Cupio ergo cognoſcere, quomodo omnem amorem erga illas excutere poſsim. Rector reſpondit, Non eſt iſte amor naturalis ſed eſt belluinus & ſęuus impetus qui à deuoto & religioſo homine erga mulieres ſuſcipitur. Noſtrę vocationis eſt, mulieres omnes deuitare ſicut peſtem, pręterquam beatam Mariam Virginem & ſanctam Romanam Eccleſiam, quæ eſt

omnium noſtrorũ mater. Has duas & non alias diligamus. Deinde beſtialis ille amor cõuertendus eſt in ſpirituale͂, hoc eſt, vt nihil amare velis quàm quod ſocietatis ſpiritus tibi amandũ proponit. Si vis amare, vt ameris, dilige Societatis patres & ſanctam Eccleſiam Romanam. Si tibi ſecularium mulierum amor obrepit: cogita Satanam tecum loqui, vt cum Eua: nõ vt ſalueris, ſed vt damneris. Tandem, ſi mulier tibi occurrit, oculos auerte: ſi te alloquitur, dic: vade poſt me Satana: Mulier, quid mihi tecum eſt?

7 Quoad obedientiæ votũ, vult Ignatius vt ſi ad aliqua ſeruitia naturæ ſuæ repugnãtia & ſenſibus cõtraria ducãtur noui ſocij, ceu cæci ſequantur. Si Rector cuipiã dicat, ſe illũ ad mactatione͂ ducturum & immolaturum, ceu agnus ſine murmure ſequatur, ac vt Iſaac non ſolùm ligna, ſed etiam ſi opus ſit ferrum offerat: ſicuti *Bobadilla* Haſenmullero dixit Romæ, 1. Auguſti 1583. Quocunque iuſſu & mandato à Superiori mittitur, voluntate, iudicio & intellectu nutum Rectoris, ceu cæcus manum ac tactum ducentis, ſequatur. Si duris afficitur pœnitentiis, à patribus reprehenditur, à fratribus contemnitur, & calcibus etiam impetitur, imò ſi omnes in eum expuant, ſuámq; libidine͂, vt Ieſuita *Bonauentura* dicebat, adimplere in eo conentur, inſtar cadaueris ſeſe habeat, ac ſi planè eſſet mortuus. Hæc & alia ciuſmodi reſpiciunt Ignatij regulã qua dicit obedie͂dũ eſſe ſuperiori tanquã Chriſto in omnibus rebus vbi non cognoſcitur peccatum. At ſi conſcie͂tia cauterio hypocriſeos reſecta depuduerit,

& do-

& dolere ac ſentire deſierit, quibus & quàm ne-
fandis ſceleribus hæc regula viam aperiet!

8 Anno 1584. Februarij 14. die, *Iacobus Cruſius*, Societatis regulas explicãs, dicebat, Noſter decalogus eſt regula votorum ab Ignatio Loiola tradita. Suam quoq; Societatem arcæ Noæ, fiſcellę Moſis, agro, vineæ, grano ſinapis, luci, ſoli, equo Troiano, horto Alcinoi, & Paradiſo terreſtri cõparare ſolet. Quòd in hac ſola, vti idem Cruſius perhibebat, homo viuat puriſsimè, cadat rariſsimè, ſurgat velociſsimè, ambulet ſimpliciſsimè, viuat Spiritu ſecuriſsimè, recolligat ſe facillimè, purget ſe citiſsimè, moribus ſtudeat libentiſsimè: ac tandem propter regularum obſeruantiam recipiat præmium ampliſsimè: maximè ſi in obedientiæ voto cuſtodiendo habuerit ſe conſtantiſsimè. Talis, inquiunt, ſimilis erit Chriſto, qui Patri ſuo vſque ad mortem crucis obediuit. Sicuti de obedientiæ merito multa collegerunt, in *Sommario delle conſtitutioni*, à regula 32. vſque ad 38. in quibus ſuos Superiores Chriſtum, eorum mandata Chriſti ſermonem, Inferiores verò ſeruos & deuotoria mancipia, ſeu (vt illorum verbis vtar) animalia bruta & cadauera faciunt.

9 Eodem anno 1584. Sacerdos Ieſuita nomine *Henricus* alumnorum ducis Bauariæ in contubernio Albertino Ingolſtadij Regens & Oeconomus, die Veneris hebdomadæ ante paſcha, ſuis diſcipulis dixit: Per hoc ſacrum ieiunij tempus vos libenter audiuiſtis hiſtoriam paſsionis Chriſti ex quatuor Euangeliſtis: feciſtis mul-

tas pœnitentiás ieiuniis, vigiliis, orationibus, peregrinationibus, ciliciis, ferulis, & flagellis, quibus vos Chriſto conformaſtis, & eius paſsionem adimpleuiſtis, & pro peccatis veſtris ſatiſfeciſtis. Sed dico vobis, nihil iſta omnia vobis proderunt, ſi non iuxta præſcriptum noſtri Superioris cras omnes & ſinguli peccata veſtra confeſsi fueritis, & Sacramentum more Catholico ſumpſeritis. Quia hæc ſancta mandat Eccleſia Romana, quam in omnibus audire debemus. Addebat: Libenter audire conciones multas, & libenter ac ſæpius legere ſacram Scripturam id profectò non eſt ſignum boni Catholici, ſed potiùs hęretici, qui ſe iſtis rebus ceu ſimia nuce, delectant. Verus autem Catholicus non multùm delectatur concionibus, quæ citò ceu ventus tranſeunt: neque lectione capitur Scripturæ, ſiquidem ea mortua eſt litera, quam non intelligit: ſed vnica eius voluptas eſt, audire multas Miſſas, & ſæpius conſiteri. Hæc qui negligit aut cõtemnit grauius peccat, quàm qui in omni vita ſua nullam vnquam concionem audiuit nec Biblia vidit. Exhortatione finita, Haſenmullerus (cui Henricus familiariter notus erat) hominem aggreſſus interrogat, vnde iſta probaret? Addit, Sapere ipſius dicta Phariſaiſmum. Cui Henricus, Audi, inquit: Sancta mater Eccleſia Romana ſic ſtatuit, cui ſi non ſimpliciter obedíueris bonus Catholicus non eris. Eccleſia Romana non Verbum, Verbum, aut Scripturã, Scripturam, vt faciunt hæretici, ſed Miſſam & confeſsionem inculcat. Hanc ergo audiamus: quia

quia hæc (inquit) eſt magiſtra, eſt viua Dei lex & litera. Scriptura autem eſt litera mortua, nihil contra Eccleſiæ Romanę authoritatem decernens, vt nec filia contra matrem, nec ſeruus aut diſcipulus contra Dominum & Magiſtrum ſuum.

10. Romæ in domo Ieſuitarum profeſſa pater *Turrianus* dedit Nouitio vaſculū vino Græco repletum, dixítque, Vade & in cloacam effunde. Frater cogitat, non effundam, ſed abibo, & ſimulabo meeffudiſſe. Turrianus aliū mittit, qui fratrem obſeruet. Is videns fratrem vinum abſcondiſſe, illum defert Turriano, qui pœnitentiam hanc imponit vt inobediens mendacium ſuum coram fratribus cofiteretur, & per octiduum vino abſtineret, Idem alteri Nouitio vinum reddit effundendum, qui protinus abit & mandatum exequitur, vinum in cloacam effundens. Hunc pater commendauit, vinúmque priori ademptum obedienti fraterculo conceſſit ebibendum.

11. Apud Sanctum Andream in monte Di Caballo Romæ *Octauianus* Pater Nouitio cùm expiaretur dixit, Vade & in hoc ſtercore te voluta, ſícque domum perge. Nouitius ſe in cœno huc illúcque verſat, & domum redit porcellus cunctis videntibus riſum exhibens, Quę vt Rector vidit, quid actum eſſet audiens, ait, Vade ad Sartorem téque nouis indumentis indui cura. Hoc enim promeruit obedientiæ tuæ virtus.

12. Landſpergæ *Chriſtophorus Zieglerus* Noui-

tio tradens rapas & arbores teneras, ait, Vade inſere eas terræ radicibus ſurſum erectis, ramis autem in terræ profundum demerſis. Frater non hominis ſed naturæ mandatum ſequutus, radices terræ, ramos aeri mandat. Huius pœnitentia fuit dicere, Non quę natura vel mea ratio iubent: ſed Superioris mandata exequenda ſunt, ac in refectorio plantulas & rapas ter circumportare.

13. Quidam Ieſuita Veronæ laborabat imbecillitate ſtomachi. Huic medicus iuſsit, vt Zinziber manè comederet, veſperi autem vnguento, quod ei exhibuerat, ventrem circa vmbilicũ inungeret. *Miniſter* verò ſuſpicans ægrotum ſtomachi infirmitatem ſimulare, vt ieiunij temporibus carnis eſus ipſi concederetur, infirmo ait, Non medico, ſed mihi vouiſti obedientiam. Hoc ergo vnguentum comede, & te hoc Zinzibere vnge, id eſt frica vſque dum ſanguis effluxerit. Nouitius obtemperat. Ideo miniſter eius obedientiam miris laudibus euehens à Rectore impetrat vt infirmo non tantùm carnes vitulinæ, ſed & delicatiores darentur.

14. Audiui ipſe Landſpergæ, inquit Haſenmullerus, *Georgium Baderum* Ieſuitarum Bauarię prouincialem, & *Iacobum Crutzium* Nouitiorũ Ieſuiticorum Rectorem nec non & alios anno 1583. dicentes, Nulla nobis pax, nulla tuta rerum poſſeſsio erit in Germania quandiu non curauerimus Auguſtanam confeſsionem deleri, & proteſtantes eius defenſores trucidari & cōburi. Illud enim hominum genus non alia ratione quàm

ne quàm ignis ardore emolliri & diſſolui poteſt. Quibus ſubiunxit Pater *Petrus Italus* rerum ſpiritualium magiſter: Vtinam, inquit, is noſtris etiam eſſet animus & ſpiritus qualem habuere ij qui Lutheranos Gallia expulerunt. Niſi conſimilis in Germanos inſtituatur lanicna, noſtra Societas inter ipſos tuta eſſe non poterit.

15. Pater *Iacobus Lutzius* Landſpergę concionator, dicebat, Quid eſt quòd noſtri, Auguſtæ, tanta ſeueritate, iuſſu Pontificis, nouum Calendarium vrgent? Si potiùs curarent, milites conſcribi, confeſsioniſtas trucidari, tunc & Calendariũ tutò recipi, & noſtri ibi quietè viuere poſſent. Pertinaces enim Lutherani, non niſi morte emendantur.

16. Tradunt Ieſuitę ſuis nouitiis certas meditationes, quas inter purgandũ ruminent. Landſpergæ habent latrinas ſeu locum ſecretum, qui ſedes capit in circulo duodecim. Ab introitu propendent ſcopæ & linteamina, quibus loca iſta expurgent. Sub his poſitum eſt vaſculum aqua plenum: & in olla arena. Singulæ ſedes ſuas habent oſtia, quæ intrans & exiens claudat. Cuilibet oſtio affixa eſt imago mortis. De his inſtrumẽtis in recreatione anno 1582. die 12. Decemb. Doctor Theologiæ Romæ formatus, & bene in Allegoriis myſticiſque rebus (vt loquuntur) qualificatus, *Fridericus Sommerman*, Landſpergæ hanc dedit contemplationem, Imago, (inquit) mortis ſignificat, nos ex materia factos eſſe rudi, ſordida & oſſea, hoc eſt dura: Quia ad obedientiam Superioris, præſertim in humilitatis

officio,id eſt,in locis ſecretis expurgandis,& res ſenſibus repugnantes obeundis, valde duri ſumus, imò quaſi mortui. Significat etiam illa imago mortis hominem ſecularem,qui nihil prę ter oſſa habet,hoc eſt,qui votis paupertatis, caſtitatis,obedientiæ,& ſtatu religionis caret. Talis imago mortis etiam nos ſumus, dum illa vota fecimus: ſed neque Deo, neque hominibus reddimus. Obſeratio portæ ſignificat noſtrorum quinque ſenſuum cuſtodiam, quos bene claudamus,ne vapores fœtidi vel exeant, vel intrent,quod fit, ſi vel ſecularia cogitamus, vel ea facere deſideramus. Introitus ſignificat nos in hunc fœtidum mundum ingreſſos: exitus verò, nos ex mundo exire, & religioſam ſeu ſpiritualem vitam ingredi debere. Sic nos,qui Societatem ingreſsi ſumus, fœtidum mundum, quaſi cloacam deſeruimus, & in Societatem, locum omnibus virtutibus, ceu paradiſum odoriferis floribus fragrantem, intrauimus. Ipſa porta ſignificat homines mundanos, qui vt porta in cardine, ita ipſi in rebus ſecularibus huc illúcque verſantur,ſunt inſtabiles,& quemlibet ſe aperire, hoc eſt, quò vult ducere, facilè permittunt.Quales ſunt etiam inter nos ij,qui corpore quidem inSocietate viuunt:at animo & cogitationibus in mundo verſantur. Et ſi ſeculares illorum linguas & aures reſerant: quicquid illis dicitur,hoc credunt,appetunt,& ſi poſſent,facerent. Arenam ſignificare aiebat,diſciplinas,hoc eſt, illorum ſenſu,auſteram vitam,cilicia,quibus carnis pruritum fricent & abradant.Olla,eſtSocietas,

cietas, in qua aquâ pœnitentiæ feruidâ, lachrymíſque ſalutaribus, nos Deo, & ſuperioribus, ingratum cibum coquamus. Olla ſumus nos omnes, id eſt, teſta fragilis. Vaſculum aqua plenũ, ſignificat, hominem ſecularem, cogitationibus humidis repletum, hoc eſt, talem, qui de rebus tantùm tranſitoriis & mundanis cogitat. In quibus etiam diffluit & perit. Linteamen ſignificat (apage blaſphemum nebulonem) pannum illũ, quo circuncinctus eſt, qui ſordidos diſcipulorum pedes lauit. Scopæ admoneant nos virgarum, quibus Chriſtus cęſus eſt: ſignificant etiam noſtras diſciplinas, id eſt, flagella, quibus carnis laſciuiam caſtigamus. Circulusſeu ſedum ambitus, ſignificat totum mundum. Duodecim ſedes, duodecim Patriarchas vel Apoſtos qui exiuerunt in totum mundum. Excrementa quæ abſtérguntur, ſignificant doctrinam hæreticorum, Lutheranorum & aliorum Schiſmaticorum, quibus orbem replent, ad quæ expurganda nos emiſsi ſumus. At, ô Spiritus impuriſsimè Ieſuitarum, qui res ſacras & cæleſtes tam ſceleſtis & nefariis meditationibus tuis polluiſti, Chriſtus te compeſcat.

17 Cùm ad Ieſuitas Landſpergenſes per Noribergenſé quendam ſcriberetur, Illuſtriſsimam principem ac Dominam D. Vrſulam Dorotheã &c. Illuſtriſsimi principis ac Domini, Domini Ludouici, Ducis Vuirtembergenſis, coniugem pientiſsimam defunctam eſſe: & ſpẽ etiam eſſe, ipſum quoque principem ob nimium dolorem & luctum, quem ex coniugis chariſsimæ morte

cōnceperit, mox eam ſubſequuturum, Chriſtophorus Zieglerus Stugardianus, dicebat, Si hoc fieret, omnia noſtra conſilia & omnes vires coniungere vellemus, vt ditione iſta, dux Ferdinandus Oenipõtanus potiretur. Quia autem id ſine gladio & ſanguine fieri nõ poſſet, ſuaſor eſſem, vt omnes Clerici & deuoti omnes Monachi & Canonici, & quicunque per vires poſſent, concurrerent, & vno impetu Vuirtẽbergam inuaderent, reſiſtentes trucidarent, & ſic illorum templa & ſcholas inhabitarẽt noſtri. Scio inquit alia ratione ipſos vinci & ad obedientiam redigi non poſſe. Nam Vuirtembergenſes in ſua religione ſunt pertinaciores, quàm vt promiſsis, vel minis, vel muneribus, vel ſcriptis, vel conciliis ad Romanæ Eccleſiæ ſubiectionem & obſequium pertrahi poſsint.

EPISTOLA IIII.

PErgo, chariſsime frater in deſcriptione dictorum quorundam vt ex vnguibus nouam Societatem magis ac magis agnoſcas.

1 Filios dilectos Romanus Pontifex Ieſuitas appellat in variis bullis: quo titulo iſti plurimũ delectantur atque gloriari ſolent. Sic Ieſuita *Andreas*, Romę in mõte di caballo Ieſuitarum neophytorum apud D. Andream moderator, dixit: Impoſsibile eſt eos à Deo in cælis diligi, quos ſummus eius in terris vicarius, Pontifex Romanus diligit, per quem, quaſi ſcalâ quadam ad cælorum gaudia aſcenditur. Præterea in prima regula tradunt, Papæ Romani vocem non aliter ac

Chriſti

Chriſti ſermonem, audiendam eſſe. Hunc ſi habemus, aiebat Ieſuita *Pietro*, Landſpergæ in Catechiſmi Caniſiani explicatione, quis contra nos erit? Cardinales, Epiſcopi, Canonici, nobis non modò reſiſtere non audent: ſed etiam in hoc multi illorum ordinati ſunt, vt nos ſua potentia & auctoritate iuuent atque defendant: vt in Bulla ſecunda conſtitutum eſt: Quid? Quòd brachium ſeculare, volente Pōtifice, omni poſtpoſita appellatione à nobis inuocatum, arma capere, & nobis reſiſtentes, ſi ita opus ſit, tollere, proſcribere & comburere debet? Quamobrem, dilecti fratres, aiebat, Pontificis amorem, parentum, amicorum, opum & patriæ dilectioni præferatis. Hoc enim facientes; & huius vitæ præmia, & æternæ lætitiæ gloriam conſequemini. Ille enim eſt, qui noſtram Societatem confirmauit, ditauit, ornauit, & hactenus conſeruauit. Et *Ioannes* Ieſuita, Auguſtæ ædilis, aiebat: Caueamus dilectiſsimi, ne Pontificem Romanum offendamus, ab illius Maieſtate & noſtrum eſſe & intereſſe dependent: hoc eſt, quicquid ſumus & habemus, id omne & totum Papæ Romano acceptum ferendum eſt. Imò, aiebat Turrianus: ipſe eſt noſtra anima, nos eius corpus. Et ſicut corpus abſque anima mortuum eſt: ita etiam Societas abſq; Pōtificis Romani clementia mortua eſt, planéque cadeueroſa. Dicebat etiam Ieſuita *Gregorius* Auguſtæ, quàm diu inter Societatem noſtram & Pontificem Romanum pax atque concordia fuerit conſeruata: tam diu cathedra Petri, & ſedes Apoſtolicæ erectæ, noſtræ

verò ſodalitates ſaluæ manebunt. Diſſenſione autem oborta, vtraque concidens, nóſque omnes toti mundo ludibrio futuri ſumus. Agnoſcamus ergo, filij, Pontificem Romanum Patrẽ, & huic ſoli in omnibus, quæ vult, obediamus. Eius enim eſt nobis imperare & facienda præſcribere: noſtrũ verò eſt, nõ petita ratione, abſque vlla tergiuerſatione, vt filios obedientes & Papę dilectos decet obedire. Sic enim, dixit Ieſuita *Bonauentura* Ingolſtadij Rector, apud Pythagoreos, pro argumenti & cauſæ ratione fuit αὐτὸς ἔφα: quantò maiori obedientia nos faciamus, & ſine vlla refragatione exequamur ea, quę in mãdatis à Põti. Ro. accipimus? Illius eſt dicere, hoc fiat: noſtrum verò eſt agnoſcere illud αὐτὸς ἔφα, & vt votis nos cogi nouiſtis, addere, Amen.

2. Quia Ieſuitæ artibus ineſcandi homines reliquos ſacrificulos longè præcurrunt, permittit Pontifex, vt quicunque velint neglecto ſuo parocho. Ieſuitarum miſſas audire, ab ipſis ſacramenta ſumere poſsint, nec ad proprias parochias accedere auſint. Hæc libertas Ieſuitarum quæſtui inſeruit: nonnihil autem parochis ſeu ſacrificulis de annua præbenda detrahit. Nam numerus confeſsionalis, qui antea ipſis ceſſerat iã Ieſuitis cedit. Propterea etiã ſacrificuli illi ipſi, Ieſuitas, licèt eiuſdem religionis ſint, cane & angue peius oderunt. Audiui Ingolſtadii à Monacho quodam nudipede ſeu Franciſcano, qui & concionatorem ibi agit, cui nomen eſt frater *Gregorius*, hæc verba, Ieſuitę iam obtinuerunt authoritatem publicam, & in ſcholis do-

cendi

cendi,& in templis concionandi, & confeſsiones excipiendi, & liberè licitéque ad omnes euagandi: Mihi dubium non eſt, quin vt alia, ita etiam noſtra breui ſint affectaturi bona. Vtinã nobis liceret ipſos expellere:nos membris quietem daturi non eſſemus,donec omnino eradicarentur. Auguſtæ à *Monachis D. Vdalrici*, hæc audiui:Sperant Ieſuitæ ſe aliquando noſtro monaſterio potituros, at ne hoc fiat, orabimus & miſſas celebrabimus quotidie, vt diabolus, qui eos in Germaniam duxit, eoſdem iterum abripiat. Nuſquam ab ipſis tuti eſſe, neque propter illorum proditiones & auaritiam, res noſtras curare,vel partas tueri poſſumus.Et certè neque figulus tam figulum odit, quàm Ieſuitas Monachi,quod illorum hypocriſi, his multa adimantur, eleemoſinæque quę priùs ad ipſos deferebantur, iam in collegia, domus & ſcholas Ieſuitarum conferantur.Quid opus eſt dicebat mihi in Italia *Monachus quidam Franciſcanus* Ieſuitis? Annon ſufficiunt Monachi & Sacerdotes ſeculares, qui pro Eccleſiæ Romanæ primatu Miſſas celebrent, & horas Canonicas dicant? Quid opus illorum ſcholis? Doctos faciunt homines & Philoſophos,qui ſemper plus Eccleſiæ Romanæ nocuerunt quàm profuerunt. Eccleſia Romana ſemper ſeuera fuit, & pacem habuit: dum quilibet Sacerdos in ſua ſimplicitate & ſancta ignorantia permanſit.At vbi Lutherus & Ieſuitæ ex ſcientia inflante inter ſe dimicare cœperunt, Eccleſia ſemper laborat,& plures ab Eccleſia deficiunt,quàm ad eam accedunt. Nec du-

bubito quin Ieſuitæ, vbi doctiores fuerint facti, vel Eccleſiam Romanam ſint euerſuri, vel ſanè multi eorum ab ea defecturi.

3 Viſitationes Monialium Ieſuitæ reſpuunt, quamuis in peregrinationibus ſuis libentiſsimè ad illarum monaſteria diuertunt, & confeſsiones audiant. Compellauit aliquando *Pater Zieglerus* famulum quendam monialium Auguſtanarum his verbis, Quid faciunt meæ ouiculæ? cui famulus reſpondit, Reuerende Pater, valdè ſunt fæcũdæ: nam hac nocte vna illarum duos peprit agnellos.

4 Pater *Th. Peltanus* Auguſtæ ſuo in muſeo mõſtrauit anno 1582. Haſenmullero imagunculam, & dixit, ſe nunquam illam ſalutaſſe, vel coram ea genua flexiſſe, quin eorum quæ voluerit ſcire notitiam, variámque gratiam fuerit adeptus. Idem monſtrabat imaginem à Iulio III. benedictam: quam à Patribus confeſſariis mulieribus quæ in parte grauiſsimis doloribus premebantur ſuperimpoſitam, continuò faciles partus operatam eſſe teſtabatur. Pater *Iulius* Senex Ieſuita Romæ apud S. Andream eidem Haſenmullero imaginem oſtendit, cuius virtute ſe futura ſcire & vlcera ſanare ſe poſſe dixit. Aderat tum fraterculus Ieſuita, vlcus habens in fronte: Super quod quàm primum Iulius iſtam ſuam imaginem poſuit, pus & ſanguis effluxerunt.

5 Haſenmullero quærenti à Ieſuita collegij Albertini Ingolſtadienſis Regente, Cur Pontifex R. Ieſuitis plus quàm reliqui Monachi iam

poſsi-

poſsidentibus ſemper magis magiſque adderet, reſpondit *ille* ſubridens, Non diuites, ſed pauperes ſumus: In dignos ergo iſta conferuntur. Nobis Papæ contradicere non licet. Ille in Eccleſiaſtica & ſubditorum ſuorum bona eandem habet facultatem, quam Deus Iſraelitis Ægypto egredientibus attribuit. Et cuilibet, quomodo, & quibus vult, ſua bona diſtribuit. Ad hanc Pontificis liberalitatem torquent dictum, Habenti dabitur, & non habenti etiã id quod habet auferetur: citatore Chriſtophoro Zieglero, Scripturæ interprete, vt aiunt, profundo.

6 Landſpergæ in bibliotheca vidi inquit (Haſenmullerus) Chryſoſtomi & Hieronymi opera. In iis voluminibus, quæ Ieſuitis non arridebant vel chartis obducta, vel expuncta, vel atramẽto deleta erant. Et cùm patrẽ *Lutzium* interrogarẽ facti cauſam reſpondit: Hæc lectio videbatur minùs Catholica, & iuniores ea facilè offendi poterant. Item, illa non fuerunt Chryſoſtomi, ſed ab alio fortaſsis addita.

7 Summam eſſe R. Pontificis auctoritatem in conſcientias docent Ieſuitæ, qua illi liceat quodlibet ſtatuere, relicto verbo ſcripto, cuius ceu rei mutæ ipſe viuus eſt interpres, imò lex Dei viua, vt dicebat Ieſuita *Fabricius*, cui magis quàm literæ Bibliorum, ſi *Torrenſis* auditur, credendum eſt. *Bonauentura* Ingolſtadij dicebat, Papa manet vt ſol in veritatis curſu æquali, & minùs quàm terra de cẽtro à veritate dimoueri poteſt. Imò, vt *Valentius* aiebat, Eſt veritatis forma.

& omnis cõtrarietatis expers. Et *Bonnius*, Quod ſunt atomi in radiis Solis, id ſunt in Papa argumenta veritatis quibus nunquam deſtituitur. At Pater *Petrus* ſeu Pietro, Quod eſt ſol dici, luna nocti, anima corpori, aqua piſci, id Papa eſt Eccleſiæ. Hic errare non poteſt: hic ſolus rectè interpretatur ſcripturam: quia teſte Ieſuita *Ottone* eſt oculus & mens eius. Ideo *Cruſius* Landſpergæ dicebat, Papæ leges, vt Dei, ſeruandas tradimus. Quicquid denique in decretalibus & iure Pontificio encomiaſticũ occurrit ab adulatoriusin gratiã Papæ confictum, Ieſuitæ vt veriſsimum obtrudunt ſuis diſcipulsi implicita fide amplectendum.

8 Ieſuita *Fabricius* Romæ anno 1583. 3. Auguſti ſcripturæ S. auctoritatem deprimens dicebat, Si quis eccleſiaſticarum controuerſiarum iudicem Biblia ſtatuat, haud aliter ineptire ſolet, quàm qui in foro iudicem ſurdum & mutũ conſtituat. *Gregorius de Valentia* Landſpergæ dicebat, Nos neque literam, neque literalem ſenſum, Sed ſolùm Catholicum intellectum (id eſt, Papæ interpretationem) requirimus, à quo dum diſcedunt Lutherani nunquam conſentire poterimus. Nobis enim neque fas eſt, neque licet à Papæ, qui ſenſum ſcripturæ tenet, interpretatione diſſentire. Quum Romæ *Heſſæus* diſputaret de communione ſub vtraque ſpecie, & particula *Omnes*, in præcepto *Bibite ex hoc omnes*, vrgeretur, reſpõdit opponenti, Non ipſum verbum nec verborum ſenſus, Sed Eccleſię Romanæ mens tibi contemplanda eſt, & quæ illa ordinat

ordinat credenda ſunt. Hæc affirmat per, *Omnes* ſolos Sacerdotes intelligendos eſſe, & vniuerſalem ad ſolos Miſſam celebrantes, reſtringendam. Oportet enim nos ſcripturam omnem eo ſenſu accipere & intelligere, quem tradidit Pontifex Chriſti vicarius: qui cùm ſit Eccleſiæ caput, columna & fundamentum veritatis errare non poteſt. Turrianus de iuſtificatione conferens, aiebat, Non Pauli verba: ſed Eccleſiæ interpretatio tenenda eſt. Hæc enim eſt viuus verborum Pauli interpres: illa ſunt litera mortua. Pater *Georgius*, Quid mihi (inquiebat) profers S. Scripturam quam quilibet hęreticus pro ſe citat. Mutus iudex ſententiam ferre non poteſt. Ergo non ſcriptura, ſed Pontifex Romanus & Eccleſia Romana iudicatrix eſt cõtrouerſiarum. Huius etiam non illius verbis ſtandum eſt, ſi controuerſiarum finem habere voluerimus. Iãpridem Ieſuitę *Colenienſes* vocarunt Scripturam ſacram ſermonem abbreuiatum, imperfectam doctrinam, quæ non omnia neceſſaria ad fidem, bonos mores, & beatam vitam conſequendam contineat: hãc traditionibus eſſe complendam. Ex Scriptura enim certum & ratum intellectum dari non poſſe: ſed eſſe eam plumbeum inſtrumentum, quod & Catholicus & Hæreticus ſuæ ſententię aptare poſsit. Ieſuitę *Italici* curarunt ne Biblia ſacra Italis vernacula lingua imprimerentur. Nouitiis quoque Landſpergenſibus Germanica Bibliorum lectione omnino eſt interdictum. Illa enim dicebat Pater *Petrus*, citiùs hęreticum Lutheranum reddit quàm Ca-

tholicum Romanum.

9 Eſt quidem, dicebat *Gregorius de Valentia*, Chriſti meritum perfectum, ratione ſui ipſius & operantis. Verùm niſi mea quoque addidero opera, méque magis iuſtificauero, mihi non potero applicare Chriſti meritum. *Zieglerus*, Quod Chriſtus nobis negat de ſuorum operum perfectione, id nos (inquit) meritis & Euangelicis cōſiliis implendis cōpenſare oportet. *Cruſius*, Quid (ait) mihi oggannis, iuſtitia imputatiua? Nemo imputatiua ſeu aliena iuſtitia ſaluatur. Me mea opera ſaluant, quæ Chriſti ſanguis ſanctificat, vt talem valorem habere poſsint. *Sommermanus* in diſputatione priuata de iuſtificatione teſtimoniis ſcripturæ obrutus, dicebat, Non oportet te tantùm Scripturæ inhærere, ſed explicationem Eccleſiæ audire, atque Bielis dictum recitabat, cuius ſumma eſt, Deum diſpoſuiſſe multa dare Viatoribus in tempore & æternitate, propter Sanctorum ſuorum merita. Huic aſſentiebatur *Melchior Stor*, atque ex Biele in 3. ſent. diſt. 19. promebat hæc verba, Licèt paſsio Chriſti ſit principale meritum, propter quod confertur gratia, apertio regni & gloria, nunquam tamen ſola eſt & totalis cauſa meritoria. Quia ſemper merito Chriſti concurrit aliqua operatio, tanquam meritum de congruo vel condigno recipientis gratiam vel gloriam.

10 Landſpergæ Fribuſius miniſter Ieſuitarum apertis verbis dixit, Tā naturale eſſe Chriſtiano perfectè Legem Dei adimplere, quàm naturale eſt illi edere, bibere & dormire. *Caniſius* in catechiſmo,

chiſmo, iuſtitiā Chriſtianam eſſe dixit, facere legē, declinare à malo ſiue peccato, facere officiū iuſtitiæ. *Iacobus Cruſius* Landſpergenſis in explicatione regularū Ignatij, dicebat, Hæc ſunt, noſter Decalogus: Si has regulas corde & factis cuſtodierimus, verè iuſtificabimur, neq; dānari poterimus. Nam perfectiora & meliora lege diuina tradunt: nēpe Chriſti cōſilia, quę ſunt, votū paupertatis, caſtitatis & obediētiæ, quorū lex ignara perfectū vitæ æternæ meritū tradere nequit.

11 Quid boni agerent Lutherani, aiebat Pater *Lutzius*, qui neq; ſtatutos Eccleſiæ feſtos dies celebrāt: neq; ſacrum Miſſę officiū diebus feſtis reuerēter audiunt: neq; ieiunia certis diebus & tēporibus indicta obſeruant, ſed in quadrageſima, diebus Veneris Sabbatique carnibus veſcuntur, neq; peccata ſua Sacerdoti proprio ſpecifice enumerant, neq; Euchariſtiā more R. accipiūt: neq; Papæ obediunt, neq; religionē ingrediuntur, ſed Monachos ac Moniales ridēt, neq; peregrinātur, neq; diuos adorant. Tales cū ſint, quis neget eos tribulos, ſpinas, & malas arbores eſſe? Nihil apud illos ſonat præterquā Verbū Dei, Lex Dei aliter docet, Sic Paulus loquitur. Eos ergo ceu eccleſię Ro. hoſtes & operarios iniquitatis deuitemus.

12 Pater *Bobadilla* dicebat Romæ nouitiis, Quot diſciplinas facitis, tot lucrabimini in cælo coronas. Per diſciplinas enim, quaſi per ſcalas, ad regnum cælorū aſcenditis. Ipſe *Claudius Aqua viua*, Ieſuitarū Generalis, in feſto S. Andreę 1583. pro exhortatione dixit, Nolite eſſe ſegnes in regularum noſtrarum obſeruatione. Nā etiā

bona de illorum obedientia concepta cogitatio, coronam vitæ æternæ recipiet. Qui verò factis eas implet, is in regno cælorum à latere Ignatij Loiolæ primi noſtri Patris ſicut ſol fulgebit. Qui autem modò illas obſeruant, modò in illas delinquunt, hi inſtar ſtellarum tantùm radiabunt. Qui verò eas negligunt, hi cum Lucifero in inferno perpetuas pœnas dabunt. Quamobrem (ſubiecit) vota reddite, regulas ſeruate. Habetis enim ignem & aquam ante vos. Scitis pleroſque noſtrorum animas agentium & ſub extremi Spiritus egreſſu, nihil aliud cõqueri, quàm quòd, vt conquerunt, regulis obedientiam non præſtiterunt

13 *Jacobus Cruſius*, in regularum explicatione dixit, Quare tantopere noſtrarum regularum obſeruationem vrgemus? quia ſunt perfectæ, & per illas perfectionem conſequimur. Quare illas faciendas & obſeruandas tradimus? An vt nos tantùm ab aliis ſeparemus? vel vt victum & amictum à maioribus accipiamus? Abſit, Sed vt per regularum opera perfectionem & vitam æternam cõſequamur. Noſtræ enim regulæ ſunt, ianua, porta, via, per quam ad cælorum regnum tutò peruenire poſſumus. Noſtra Societas eſt arca Noe, qua per mundi diluuium ad paradiſum deducimur. Hæc eſt arca Moſis & propitiatorij apud quam eſt Dominus, & toti orbi quid faciendum ſit reſpondet.

14 Pater *Lutzius* dicebat, Nõ poſſumus, damnari. Nam ſi regulas noſtras obſeruamus, Deus iuſtus eſt, & non poteſt non nobis illarum mer-

cedem

eedem, quæ eſt vita æterna, dare. *Concionator Ieſuitarum* in domo profeſſa Romæ, in horto Spinolæ deambulans Haſenmullero dicebat: Lutherani, vt audio, ſe ſola fide in Chriſtum, quem pro nobis ſatisfeciſſe dicunt, ſalutem conſecuturos putant. Sed falluntur, haud intelligentes nos eſſe illos qui noſtris meritis inchoatam à Chriſto ſalutem abſoluere ac perficere debeamus. Non vident Chriſtum tantùm eſſe mortuum pro nobis, vt eſſet ſalutis principium: noſtrum verò eſſe illam plenè promereri.

15 *Sommermanus* Landſpergæ pronuntiauit hæc verba, Baptizati, & ab epiſcopo non confirmati, ſunt imperfecti Chriſtiani. Et *Melchior Stor*, Non confirmati, ait, ſunt inſtar militum armis & haſta deſtitutorum. Suis nouitiis ſæpius illud occinunt *Ieſuitæ*, ad Societatem ingreſſus eſt lauacrum, quo ab omnibus mundi peccatis lauamur & perficimur. Item, Sacramentalis pœnitentia eſt tabula, qua ex naufragio mundi deferimur ad portam ſalutis.

16 Ieſuita *Fabricius* Haſenmullero Romæ in os dixit, Ego mallem Sodomiam exercere publicam, quàm contra Papæ mandatum inire matrimonium. Alius, nomine *Andreas*, Romæ apud S. Andream Ieſuiticorum nouitiorum informator, dixit, Non minus peccat Sacerdos ſi vxorem ducat, ac ſi cum mula rem habeat.

Habes, chariſsimè frater, breue ſpecimen nõnullorum dictorum quæ ingenium Ieſuiticum detegunt. Quid autem de iſtis ſociis ſit iudicandum, pia viderit poſteritas. Dum autẽ prolixius

volumen aliquis parabit, Ieſuiticæ congregationi dicamus, Ex verbis tuis iuſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Vale.

EPISTOLA V.

EA quæ ſcire nos iubet Deus, lubẽs perſcrutor, chariſsimè frater. Abſcõdita nõ quęro: nec in aliorum dicta geſtáve cenſoriam virgulã ſumere velim. Quoniam verò cogit nos Ieſuitarum ſuperbia, tum ſuperſtites pios & doctos viros, tum in Chriſto quieſcentes allatrans, quod ex Haſenmullero nouæ iſtius ſectæ olin diſcipulo deſcripſi, de vita Ieſuitarum domeſtica ſeu priuata lege & expende.

Regularum ſuarum trangreſſoribus, pueriles hypocriticas & ridiculas iniungunt pœnitẽtias. De his nunc exempla quædã ſubiiciamus. Diebus æſtiuis hora quarta matutina, hyemalibus hora quinta, ſtatim ad ſignum campanæ ſurgũt è lectulis. Si qui, quod ſæpius fieri ſolet, aliquanto diutius ſtertunt, & à viſitatore in lecto deprehenduntur, his imponitur talis pœnitentia. Rector ipſum ad ſe vocatum arguit, & tanquam ſomnolentum ac inobedientem grauiter reprehendit, ac dicit ei, *prandij tempore ſumes tuum lectum, illúmque tecum ad refectorium deferes, faciéſque conſuetam pœnitentiam qua tibi ſomnum excutias.* Vbi Ieſuitæ ſedes ſuas ad menſam occuparunt, miſer ſomnolentus, cum lectulo ſuo quem humeris baiulat, in medium refertorij procedit ac in genua proſtratus, dicit, *Reuerendi Patres, chariſſimi fratres, dico vobis meam culpam, quòd hodie vltra horam dormiui, quamobrem mihi hæc exigua data*

eſt pœnitentia: vt lectum meum ter in refectorio circumportem, & in medio hypocauſti, donec prandium finitũ fuerit dormiã, & deinde lectũ meum reportẽ, & in parua menſa cibũ ſumã. Quibus prolatis, ſurgit, lectũ ter in refectorio circũgeſtat, eidémq; deinde in medio ſtrato incũbit, & ſi vult dormit, cæteris fratribus ridentibus hæc pœnitentia nimij ſomni peccatum expiat.

Poſtquã manè ſurrexerũt à ſõno, lex eſt, vt lectũ ſtatim quiſq; ſuum adornet: deinde vt hora meditationis & orationis finita cubile ſuũ purget: qui in hãc regulã delinquit, eodẽ modo, quo priori, culpã ſuã dicit. Pœnitentia autẽ eſt: lectũ tẽpore prãdij ad cœnaculũ deportare, & fratrib⁹ comedentib⁹ oſtẽdere, quomodo confuſũ & turbatũ ſtratũ reliquerit, deinde abire, & dũ cæteri prãdẽt, cubile verrere. Si quis autẽ meditationis & orationis horâ matutina obdormiuit, pœnitẽtia ei⁹ eſt, ad prãdiũ, in medio refectorij ſe in genua abiicere & fratrib⁹ monſtrare quomodo dormierit, & capite ſomno grauato nũc in hãc nunc in illã partẽ nutarit & vacillarit. Finita meditationis hora, omnes Miſſę interſunt. Si qui pedib⁹, vel manib⁹, vel roſariis, ſtrepitus mouent, vel per cãcellos proſpiciũt: pœnitentia eſt, in prãdio patrũ & fratrũ exoſculari pedes, & ſub mẽſa, vel ad pedes Rectoris cibũ capere: & fratribus, aſcendendo in ſcamnum & caput per feneſtram exerendo, monſtrare, quomodo per cancellos proſpexerit. A Miſſa lectio aliqua audiẽda eſt, quã omnes vigiles & attenti percipere debent. Si qui ſub lectione ſedent dormientes,

garrientes vel ridentes, eos oportet deinde ad prandiũ in mediũ refectorij conſidere, dúmque cæteri edunt, repreſentare, quomodo dormiuerint, garriuerint, & riſerint. A lectione venit miniſter (de quo ſupra) qui operas & labores domeſticos diſtribuit. Ad cui⁹ aduentũ omnes cõuolãt, ipſe verò ſtãs in medio officia diſtribuit: *Tu*, inquit, *vade & iuua cocũ: Tu cellarium: tu porta aquã: tu ligna: tu ollas expurga: tu menſam adorna: tu vaſa elue:* ſi quis autẽ eſt, qui ſe vult præ cæteris humiliare, &, vt regula iubet, repugnantia ſenſibus appetere, is vadit ad Rectorem, ſe in genua ꝓſternit, & rogat, vt ſibi cõmittatur officiũ humilitatis, hoc eſt cloacas & matulas (ſit venia dicto, vtor enim ipſorũ verbis) & caligas ſeniorũ patrũ excrementis repletas, ac cætera fœtida & fœda loca expurgare: *tu verò menſæ miniſtra*, &c. Tãdẽ vbi omnia diſpẽſarit, dicit: *decẽter citò omnia perficiatis.* Si qui vel in morib⁹ leuiores, vel in expediẽdo tardiores, quã par eſt, deprehendũtur (magiſter enim morũ eos ſequitur & obſeruat) tũc illis tales imponuntur pœnitẽtię, qualia fuerunt delicta. Verbi gratia. Erat fratris hortulũ purgare, herbas ordinare, & arbores putare. Is audiuit cuculum coccyzãtem, vel aliquam auiculam cantillantem, cuius vocem æmulatur. Quòd ſi magiſter id audiat, tacet: ſed deinde Rectori ſignificat. Huius ergo pœnitentia eſt, ad prandiũ culpam dicere, & eoſdẽ geſtus & cant⁹ edere, quos in horto exprimebat: ter igitur aut quater circumit in refectorio, & alta voce clamat *Cuc, Cuc, Cuc, Cuc*, (riſum tene, dũ & ipſe cuculum

culũ iſtũ imitor) quibus finitis, cũ reliquis cibũ capit. Si quis in exercitio ollã vel aliquod aliud vas fregit, huius pœnitentia eſt, partes accipere, colligare & à collo ſuſpendere, & in refectorio circũportare. Si qui ſilẽtij leges tranſierint, illorũ eſt, in refectorio circũire, & eadẽ dicere, quę in exercitio protulerãt. His & aliis innumeris pœnitẽtiis, ſeipſos in prandio, haud aliter quàm Reges & principes ſuorum morionum nænijs ac geſticulationibus recreãt. Talis enim grauitas & ſanctitas Ieſuitas decet,

Etiamſi autem leuia hæc ſunt, puerilia, ridicula & ioculatoria: tamen Ieſuitæ, dicũt, quòd tot recepturi ſint in vita beata coronas, quot pœnitentias egerint. Imò hæc opera eſſe vitæ æternæ meritoria, ſi intentione Societatis, & ex obediẽtia Superioris faciant. Tot ergo Chriſtos habent, quot opera vel regulas. Si cocus aliquem cibum perdit, eius pœnitentia eſt, cibum illum edere, vel corã fratribus circungeſtare, & culpã ſuã profiteri. Si quidã inter exercitiũ fiſtularũt, vel nimis cucurrerũt, eorũ eſt in refectorio, corã fratrib⁹ idẽ repetere, & deinde reliquis aſsidere.

Examẽ conſcientiæ bis in die faciũt, ante prãdiũ & cœnã hoc modo. Dato examinis ſigno, omnes rectà, quodcunque agant, conueniũt, & quilibet in loco ſibi deſignato, corã aliqua imagine in genua proſtrat⁹ conſcientiã ſuam ſcrutari, probare, & ſpiritũ ſcopare ſeu euerrere iubetur. Qui literas norunt, illorũ eſt omnia cogitationũ, verborũ, factorũ & omiſsionis peccata, in catalogo cõſignare, vt ad diem Sabbati, integrè

& perfectè conſiteri poſsint:& Rector ſuorum diſcipulorum conſcientiam adeóq;omnia mẽtis arcana explorata habere queat. Septem dieb. hebdomadis,à Dominico incipientes in tabula conſignant peccata vniuſcuiuſque diei, nempe cogitationis,ſermonis,operis,omiſsionis regularũ,neglectæ pœnitentiæ,confeſsionis. Si qui hoc examen vel negligunt,vel oſcitanter faciũt vel decenter nõ peragunt, hi deinde in refectorio tenẽtur publicã agere pœnitẽtiã. Erat Lãdſpergæ neophytus,natione Gallus, qui ira percitus ob nimis ſeuerã pœnitẽtiam ſibi propter examen conſcientiæ neglectum impoſitã,dixit, *Examen iſtud nihil aliud eſt,quàm carnificina conſcientiæ:materia deſperationis, & officina proditionis,quòd rector propterea tanta ſeueritate exigit, vt quodlibet de quolibet rimetur, ſeſeque in ipſius Dei officium,cuius ſolius eſt ſcrutari corda,ingerat.* Huic ſequens pœnitentia iniuncta eſt. In refectorio genibus innixus confitebatur: *Reuerendi patres, chariſſimi fratres, dico vobis meam culpam, quòd in ſanctum conſcientiæ examen,ſocietati noſtræ conſuetum,& à S.P. Ignatio traditum, contumelioſius fuerim. Quamobrem mihi hæc exigua data eſt pœnitentia.* 1. *Vt omnibus patribus & fratribus pedes exoſculer.* 2. *Humilitatis officium,quod eſt cloacas expurgare,per octiduum ſubeam.* 3. *Ollas & vaſa culinæ eluam.* 4. *Per ſpatium vnius horæ coram venerabili ſacramento culpam deprecer.* 5. *Per menſis curſum quotidie ter conſcientiæ examen faciam.* 6. *Iam meipſum flagellem, donec tertium fuerit appoſitum ferculum, vel Dominus rector ſufficientiæ ſignum derit*

derit. His pœnitentiis crimina ſua diluens coronam vitæ æternæ, vt loquuntur promeruit.

Accedentes ad prandium, ante refectorij fores præſtolantur eum cuius eſt diſtribuere pœnitentias. Is adueniens ſingulis delinquentibus quas lubet imponit. Dum alij menſæ accumbūnt, pœnitētes in refectorij medio omnes ſe in genua obiiciunt, & quilibet ſuam culpam dicit, pœnitentiámque peragit non abſque riſu & lachrymis epulantium. Verbi gratia, vnus dicit, *Ego hodie cùm per circuitum irem, riſi: data eſt mihi pœnitentia, vt ter circumirem in cœnaculo, & riderem*. Tum ſurgens refectorium riſu complet. Alter ait, *Ego cum meo ſodali hodie miniſtraui Miſſæ, ſed negligenter: ſiui enim operculum in calicem incidere, id quod ſacerdos non obſeruauit. Nobis ergo hæc data eſt pœnitentia, vt operculum circumportemus tribus vicibus, & illam partem, qua ſanguinem Chriſti attigit, exoſculemur, & in locum reliquiarum reponamus.* Id factum eſt Romæ, anno 1583. Auguſti. 10. & operculum illud ad reliquias eſt repoſitum, & inuocatum oſculatúmque à Ieſuitis apud S. Andream. Alius. *Cùm ollas hodie purgarē, vnam fregi: pœnitētia fert, vt teſtas vobis cōmonſtrem, & abeam ad figulū, aliámq. emendicem.* Alius. *Hodie cùm eſſem in hortulo, audiui equū hinnientē, cuius hinnitū ego quoq; ore exprimere conatus ſum: iuſſus ſum pro pœnitētia ter circūire, & hinnire quàm poſſum voce altiſſima.* Sicque ipſe hinnitu, reliqui cachinnis refectorium replent. Alius. *Meum hodie erat ſeniorum Patrū eluere caligas, quia verò non rectè neque*

purè eas expurgaui, pœnitentia mea eſt, vt vobis caligas demonſtrem, & ab eā rectéque abluam, Alius, *Tranſiui ante Sacerdotem, nec caput aperui: impoſita mihi eſt hæc pœnitentia, vt circumeam & capite aperto ſingulos ſalutem.* Alius, *Hodie Miſſæ non decenter interfui: mea pœnitentia eſt, vt ſub menſa edam.* Alius, *Hodie feli abſque licentia carnes dedi: iubeor igitur nunc edere cum fele ſub camno.*

Si qui in votum caſtitatis, lingua, auribus, vel oculis peccant, publicas corā aliis coguntur agere pœnitentias, his verbis & geſtibus: *Hodie in miſſa, per cancellos dirigens oculos in fœminas, flammas impuras ſenſi: mihi ergo hæc impoſita eſt pœnitentia, vt toto iam prandij tempore oculis clauſis ſedeam, & ſub menſa cibum capiam.* Alius accedens ait: *Quòd hodie impuros ſermones audiui, & amatoriam cantilenam cecini, iubeor dicere ſeptem pſalmos pœnitentiales, me flagellare, & cantilenam iſtam repetere.* Tunc coram fratribus epulantibus alta voce repetit cantilenam, quæ cęterorū ridentium aures titillet. Leonardo Coco Landſpergenſi adultero Ięſuitæ pœnitentia impoſita fuit, vt ex Bauaria in Auſtriam proficiſceretur, & in toto itinere nullam prorſus alloqueretur feminam. Si quis horis orationis dormiuit, tenetur in refectorij medio conſidere, & ſomnū fingere, vſquedum Rector dicat, *Expergiſcere.* Huiuſmodi Cyniciſmis Ieſuitæ prandij tædiū ſubleuant, ſuáſque lautitias cōdiūt: nec deſinūt appellare ſuas illas pœnitentias, ſatisfactorias, expiatorias & meritorias, Præterea, quaſdam

recrea-

recreationis horas habent, & certo ordine loquuntur. Senior reliquis attente & reuerenter auſcultantibus fabulam narrat: quiſque deinde ſuam, petitas ex diſcipulo de tempore, ex libro de miraculis B. Mariæ, de legendis ſanctorũ, de viſis monachorũ, de ſocietatis incremento, de rebus Indicis & Iaponicis, &c. Si quis iocos & ſales adſpergit, in cœna corã omnibus eoſdem repetit, vt epulantibus riſum moueat, ſibi excutiat pudorem.

Dantur etiam in recreatione capitula, vt vocant, ſeu reprehenſiones quibus ſuos contineãt, hoc modo finita ſeptimana Rector corycæum vocat, & errata quæ ab aliis cõmiſſa notauit ſibi reſeruat. Tempore recreationis ſchedulã profert, in qua omnium errata per ſeptimanam obſeruata conſignata fert. Si vult illos, vt Ieſuitico verbo vtar, capitulare, ſellam ſibi afferri curat, & in medio fratrum conſidens, dicit, *Putabam me habere fratres perfectos: ſed hæc ſcheda mihi à ſpiritu ſancto data multos, imò verò omnes imperfectionis arguit.* Quibus prolatis, omnes in genua coram Rectore procidunt, & dicunt: *ſic eſt Pater, omnes imperfecti ſumus: nec regulas, vt oportuit, obſeruauimus.* Tunc omnes iubet ſurgere: cum autem quẽ reliquis plura commiſiſſe errata, nouit, proiectum in genua perſeuerare iubet. Et ne is corycæum ex accuſationibus agnoſcat & oderit, omnes & ſingulos in corona ſedentes interrogat: Tu pater, vel frater, quæ per hanc hebdomadã in fratre tuo perperã fieri animaduertiſti? Eſt frater ille egenus: cõmuni-

cetis igitur ei ſpiritualem eleemoſynam. Tũ ſenior, deinde iuniores ordine miſello obiiciũt oculos in templo vagantes & mulieribus adblandientes, vel contra ſtuporem, oſcitantiam, aut ſuperbiam, aut garrulitatem. Quibus actis Rector ſubiicit, *En talis es ſocius: quam tibi imponi vis pœnitentiam?* Miſello auriculas demittenti dicit, ſequenti ſeptimana in recreationib. omnibus ſolus manebis, nec vllum verbũ, abſque ſingulari & expreſſo meo mandato loqueris: quotidie ad prandium ſtabis, & labia digitis comprimes: finita ſeptimana, quomodo pœnitentiam egeris, me facias certiorem, vt te abſoluere poſsim. Interrogat etiam vtrum patiẽter ferat, quòd ita ab aliis exceptus ſit. Annuit capitulatus, & ſuo loco reſtitutus aliis vicem rependit.

Alia nouæ ſectæ per ſingulas ſeptimanas exercitia priuata attingere non libet, aut fratrum Ignatianorum pudenda detegere. Nam quæ occultè fiunt ab iſtis turpe eſt non modo verbis, ſed etiam cogitatione attingere. Qualis ſit Ieſuitarum vita publica, quid horum generalis, Aſsiſtentes ſeu intimi Conſiliarij, Profeſsi, Deuotorij ſerui, Nouitij, ſerui temporales ſeu coadiutores formati, ſerui ſpirituales, præfecti, conuocatores, confeſsionum auditores, pœnitentiarij, Sacerdotes, Rectores, Pædagogi ſeu hypodidaſcali, Oeconomi, & Nouitij gerant: quæ ſint ſectæ regulæ, vota, dogmata, ingentis molis & noui cuiuſdam Alcorani opus eſt, quod Ieſuitarum alumnis proximo ſeculo

con-

conſcribendum & euulgandum relinquimus.

EPISTOLA. VI.
De miraculis Ieſuitarum.

IN Indicis Epiſtolis, nec non in vitis Ignatij, Xauerij, & aliorum Patriarcharum Ieſuiticorum innumera pęnè miracula nobis depinguntur, quibus nouam ſuam ſectam toti orbi commendarent. Alia noua cudant, quantum voluerint, occurret nobis interea præceptum Iehouæ Deut.13.1.&c.& Seruatoris noſtri Matth.24. 24.6. & dictum Apoſtoli 2, Theſſal:2.9.10.11. 12. Ieſuitarum oſtentationi opponemus Auguſtinum lib.de vnit.Eccl.cap.16. dicentem, *Eccleſiam ſuam demonſtrent, ſi poſſint, non in ſermonibus & rumoribus Aphrorum, non in conciliis Epiſcoporum ſuorum, &c. non in ſignis & prodigiis fallacibus: quia etiam contra ea verbo Domini præparati & cauti redditi ſumus: ſed in legis præſcripto, in Prophetarum prædictis, &c. Remoueantur iſta vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium ſpirituum. Aut enim vera non ſunt quæ dicuntur, aut ſi hæreticorum aliqua mira facta ſunt, magis cauere debemus, quòd cùm dixiſſet Dominus quoſdam futuros fallaces qui nonnulla ſigna faciendo, etiam electos, ſi fieri poſſet, fallerent, adiecit vehementer commendans, & ait, ecce prædixi vobis. Unde & Apoſtolus admonens, Spiritus autem manifeſtè dicit, quia in nouiſſimis temporib. recedent quidam à fide, intendentes ſpiritib. ſeductoribus, & doctrinis dæmonũ, &c. Audiant etiam quæ narrent Pagani de Diis & Templis ſuis*

mirabiliter vel facta, vel viſa, &c,

Summum eſſe miraculum Ieſuitæ dicunt Ignatium Loiolam militem illiteratum, potuiſſe talem inſtituere Societatem, qualem antehac orbis nunquam viderit. Suam ſocietatem miraculoſam exiſtimant, quòd ab anno 40. vſque ad finem ſeculi 1500. id eſt per 60. annorum interuallum per omnes mundi plagas ſint diſperſi. Haſenmullerus reſpondet, palearum diſperſionem & zizaniorum copioſum prouentum, non probare religionis veritatem. Hæreſin fœcundam eſſe, & maiorem mundi partem per latam viam ad inferos feſtino curſu pergere. Arianiſmũ olim occupaſſe Mahumetiſmum hodie maximam mũdi partẽ occupare. Neque ideo quiſquam Chriſtianorum vnquã ita vecors fuit, vt propterea hæreticos & apoſtatas verę religioni adhæſiſſe dixerit. Sed miracula quædam Ignatij ex Ribadeniræ & Maffæi (qui vitam eius ſcripſerunt) enumeremus.

1. *Clariſſima beatiſſimæ virginis Mariæ vnà cum Sancto puero Ieſu ſpecies Ignatio obiecta eſt: qua aliquandiu permanente mirificè recreatus eſt, & diuina quadam voluptate perfuſus.* Species ſeu idolum, inquit narrator, cui ſomnia ſua relinquamus. Imaginem quam adorauerat interdiu, per quietẽ ſibi fingit, & voluptates illas phanaticas.

2 Maffæius narrat capite octauo libri primi, de Ignatij Loyolæ vita: *Cùm ille Templum Pauli Apoſtoli peteret, & in itinere ad amnem quendam qui Minoreſam interfluit, conſtitiſſet, nec opinanti, repente Diuina quadam oborta eſt*

lux

lux tanta, támque mirifica, vt momento pene temporis nullo magiſtro quàm plurima clarè perſpexerit non ſolum de fidei Chriſtianæ myſteriis, verùm etiã de aliis vel ſubtiliſſimis philoſophorũ quæſtionib. atq. decretis: quaſi nitidiſſimo quodã in ſpeculo perſpicuè cerneret ea, quæ poſt multã accuratãque lectionem, maximóſque labores ac vigilias vix demum ſolent homines intelligentia comprehendere: atque in eo cæleſti prorſus intuitu, non ſine ſumma animi voluptate diutius acquieuit. At eiuſdem lib. ca. 16. Maffeius fatetur *Diabolum crebra intelligentiæ lumina obtuliſſe Ignatio, & recondita patefeciſſe ſcripturæ ſanctæ myſteria.* Hęc vel Maffæius ipſe, vel quiſpiam alius Ieſuita, nobis explicabit.

3. Encomiaſtæ Ignatiani præterea narrãt Ignatio à virgine Maria, conceſſum eſſe, permaximè illuſtria Symbola Trinitatis ipſius Numẽ auguſtiſsimum cernere diſtinctum perſonis, vnum eſſentia. Quid Apoſtolus Paulus præ iſto? qui homo literarum propemodum ignarus (Maffæio teſte cap. 8. lib. 1.) de ſanctiſsimo illo fidei Chriſtianæ myſterio diſputauerit idque tanta ſimilium & exemplorum varietate & copia, vt cuncti obſtupeſcerent: quinetiam per eos ipſos dies non dubitauit terræ filius librum de Trinitate (in Vtopia fortè reſeruatum vel editum) conſcribere quoquo potuit ſtylo: vſque adeo cæleſtes typi in ei⁹ memoria atq. intelligẽtia diuinas illas rerum altiſsimarum notiones impreſſerãt. quę ſint iſta ſymbola, ſimilia exempla quum Maffæius reticeat, ignorare cogimur,

donec tantum theſaurum Ieſuitæ nobis miſeris communicare dignentur: ſaltem notis nonnullis oſtendere quomodo quis in carne conſtitutus Deum vnum eſſentia, perſonis diſtinctum mente complecti & intueri poſsit. Noua Ieſuitæ cudāt prius Biblia, nouum fabricent Deum neceſsè eſt, antequam miras iſtas apparitiones veras eſſe perſuadere poſsint.

4. Pergit Maffæius, & Ignatium Chriſto æternæ Sapientiæ Dei Patris, non ſine ſumma blaſphemia conſocians, *per ſignificationes arcanas,* inquit, (eodem capite & libro) *& myſtica quædam exempla, oblatus eſt Ignatij menti modus ipſe, quem in huius vniuerſitatis molitione ſummus ille rerum opifex tenuit.*

5. Miſſam pontificiam nouo tibicine fulciens Maffæius addit, *Cum ſacrificio miſſæ in templo Dominicano intereſſet dum à ſacerdote de more hoſtia attollitur, apertiſſimè vidit Ignatius illa ſpecie Chriſtum Deum eundem & hominem veriſſimè contineri.* Quomodo iſta cum fidei articulis de veritate humanæ naturæ Chriſti, de eius in cælis aſcenſione, de ſacramentorum doctrina conſentiant, piorum eſto iudicium. Quos ludos *illa Specie* Maffæius faciat ne quidem ipſe Maffæius ſi velit explorare valeat. Quum autem epiſtolæ modum excedere non ferat animus, Ieſuitis ſua ænigmata relinquamus. Tantum nobis perſpicuè explicent an Deus re aliqua contineatur.

6. *Aliquando vt alienatus à ſenſibus, à completorio ſabbati ad alterum vſque proximum ſabbati completorium in altiſſimo quodam exceſſu perſtitit*

Ignatius

Ignatius. Quoſdam interfuiſſe huic miraculo refert, non nominat Maffæius, qui etiam ludos ludificabiles ſuis Ieſuitulis narrat, Quid plura? Ignatio precationi intento, ſeſe non ſemel (millies potuit ſcribere Maffæius, & idem per idem exprimere, nam perinde eſt) tum Chriſtus Dominus, tum virgo mater oſtendit. Felices Ieſuitæ tanto patrono, qui Trinitatem vidit, arcana creationis comprehendit, cæleſtis homo factus eſt, & patriarchas Prophetas Apoſtolos, viros Apoſtolicos, martyres vel pari paſſu ſequutus eſt, vel longo ſuperauit interuallo, decorati.

7. Oportuit igitur nouum Apoſtolum, ſectã nouam ab aliis diſiunctam & ita diſtinctam in multis (inquit Ribadeneira) quæ noſtris temporibus congruentia & præſenti Eccleſiæ ſtatui ſunt neceſſaria, toto orbi inſignibus patefieri miraculis. De Ignatio hæc mira narrat Maffæius, Feminam principem faciem Ignatij in templo quodam feci plebis, quæ concionem audiebat, immiſti, peregrini Hyeroſolimam petentis habitu, videre ſibi viſam eſſe eximio quodam fulgore ſplendentem. En alter Moſes, aut Chriſtus transfiguratus, ſi fabulatori mulierem obtendenti fides adhibetur.

8. Audiamus alia miracula. Nauis qua Ignatius Barcinone Italiam verſus ferebatur, incolumis euaſit: alia nauis naufragiun fecit nõ longè à portu. Deſperatũ quẽdã ex tigillo pendẽtẽ Ignatius eodem tẽporis momento accurens ita liberat. Reſtẽ protinus pręcidit hominẽ col-

locari iubet in lectulo, & nixus genibus pro eò precatur: tũc miſer ſuſtulit oculos: vociſque vſũcatenus dũtaxat recepit, quoad vocato celeriter in id ſacerdoti peccato cõſiteretur, & confeſtim animã efflaret. Viſitans ægrotũ quendam ſopore oppreſſum, febricitans è ſomno excitatus repentè vxorem inclamans, *Quis nouus hic ſplendor*, inquit, *quæ tanta lux cubiculum complet?* At illa ſimpliciter (ait Maffæius) id quod erat vnum Ignatium introiſſe reſpondit. De ſplendore & luce, quem agitatum illud cerebrum ſibi finxerat, apud ſimplicem & ſanam illius vxorẽ altum ſilentium. Aliud miraculum ſequitur. *Sicarius quidam de Ignatio trucidando cogitans, dum in propoſito pergeret, à voce reuocatus inſonante, Quò tendis infelix, pedem retulit.* Maffæius exponit miraculum (modò verum dixerit) ſubiiciens iſtum conſcientia victum poſt modum rem totam aperuiſſe. Quæ enim vox efficacior ſonora illa conſcientiæ voce?

9. Ignatius ſacrificiis & præculis cacodemones ex domo Ieſuitis Romæ conceſſa læmurúmque terroribus & faunorũ ludibriis infeſta recedere coegit. Adoleſcenti quem oſculatus fuerat, prædixit metopoſcopus vel chiromantes, futurum vt adultus vxorem duceret, multíſque incommodis afflictaretur, quæ iuueni poſtea acciderunt. Aliorum quorundam mortes longè ante prædixit, vt diutius viuerent nõ curauit.] Ieſuitas vacillãtes quos præuiderat nonnullos ſub iugo aſtutè continuit. Simonem quendam Rodericum morbo afflictum ſanitatem

tem priſtinam recuperaturum prædixit. Codurij ſui ſodalis vidit animam cęlum intrantem. Hęc ſunt præcipua Ignatij miracula, quę Maſſæius loquentia ſua amplificat, ita tamen vt ſe cordatis lectoribus deridendum propinet, vt qui cum ſtipitibus & idolis ſibi putet eſſe negotium.

10 In epiſtolis Indicis Fanciſci Xauerij noui Apoſtoli miracula noua omnis generis finguntur. Is eſt qui per humilitatem in Xenodochio Venetiano *ſanioſa ægrotantium vlcera interdum lingere deprehenſus eſt*, inquit Ribadeneira. Indos diligenter docuit vt *animabus quæ in purgatorio expiantur ſuis precibus opem ferrent fuit virgo impollutus, in aduerſis infractus* (hi ſunt eloquentiæ Ieſuiticæ floſculi) *ter naufragium fecit, duos aliquando tréſ-ve dies iactatus vndis in tabula ſeruatus eſt. In oratione totas frequenter noctes ponebat, coram corpore vel imagine Chriſti.* Ribadeneira, & Maſſæius in epitome commentarij de rebus Indicis Xauerium vt alterum Loiolam, vel Loiola pręſtantiorem proponunt: ſed paulò ſtupidiorem: vt qui *in Iapone ſuis pedibus iter faciens accipiebatur interdum vt vepribus ſe indueret, in lapides offenderet, pedes laceraret, ſine dolore, ſine ſenſu.* Si talis fuit non miror illum vapulaſſe à Diabolo: Sic enim Ribadeneira, *Orantem illum Diabolus grauiter aliquando verberauit.* Idem narrat Iaponium quendam Ieſuitam à Xauerio Romam miſſum, vt Ignatium Sectæ Pontificulum ſalutaret, & perſpecta Romanę Eccleſiæ maieſtate in patriam reuerteretur, retuliſſe inter alia

miracula, Xauerium multis quæſtionibus iíſque diuerſiſsimis ipſi propoſitis ita omnibus vna reſponſione ſatisfeciſſe, vt omnibus omnes dubitationes ſcrupulóſque eximeret: ídque multò etiam euidentius atque illuſtrius, quàm ſi ſingulatim cuique reſpondiſſet. Per multos variis morbis oppreſſos ſuis oculis ſe vidiſſe, qui ad Franciſcum deportati confeſtim ab illo vel crucis ſigno vel aquæ ſacræ aſperſione ſanati fuerunt. Quamobrem Iaponiis illum Franciſcum quaſi aliquem de cælo ac ſacrum hominem aiebat viſum. Neque mirum: multis enim (inquit nugator) claruit miraculis & in vita & poſt mortem, quibus in hodiernum vſque diem illuſtratur. Morbos omnis generis ab humanis corpoporibus depulit, energumenos liberauit, illuminauit cæcos, mortuos denique vitæ reſtituit, Prophetiæ dono maximè excelluit. Hæc diſcipulus Iaponius à Xauerio magiſtro ſubornatus Romæ ſparſit, teſte Ribadeneira: & vt fabulam commoda narratione clauderet, addit corpus Xauerij (in caſula ſtraminea extincti) per quindecim menſes incorruptum duraſſe, naturali colore ac viuido, humida carne ac ſuccoſa, nihil tetri odoris aut fœdi præ ſe ferens.

Artiū iſtarū copiā Ieſuitę quotidie recenſent ab hora 11. ad 12. a 6. vſque ad 7. animi gratiâ. Quum de ſuo ad ſocietatem acceſſu agitur; Alius ſibi Dæmonem, alius Gabrielem: alius Mariā: ali⁹ Luciā: ali⁹ Loiolā: ali⁹ aliū ſibi apparuiſſe dicit, & hortatum, vt Societatē ingrederetur. Nugantur etiā ſuos patres hinc inde multa facere miracula: ſuis granis quoſdā à lepra, a-

lios à cæcitate, alios à febri, alios ab hac vel alia infirmitate,liberaſſe. Hoc vnico fine,vt mercibus Pontificiorum putridis,quandã diuinæ virtutis opinionem pariant,homines decipiant,ac ſuos in errore retineant. Anno 1584. Ieſuitę Lucernę habitantes, ſcripſère Landſpergã,virginẽ quandã votũ feciſſe, ſi à febri liberaretur,quòd velit Ieſuitæ Confeſſario omnia ſua numeratim recenſere peccata:vixq; voto concepto illã ſanatã. Hinc auricularis confeſsionis valorẽ, & confeſſarij illius ſanctimoniam mirè cõmendabãt. *Itẽ.* Fuiſſe feminã, cui Ieſuitarũ caſtitas ſemper fuerit ſuſpecta,quã vt probaret vno die duas audiuiſſe miſſas,primã à ſacrificulo, alterã à Ieſuita. Illius hoſtiã eleuatã, nigrã:huius albam fuiſſe conſpectã.Hincq; Ieſuitæ puritatem,ſacrificuli verò impuritatem mulieri manifeſtatam & celebratam eſſe. *Item*; Fuiſſe quãdam virginem, ſatis grauiter decũbentem,quæ audiuerit de Ieſuitici confeſſarij ſanctimonia & dixerit:Scio, ſi illũ hominẽ mihi vel aſpicere ſaltẽ liceret,quòd ſanitatẽ recuperatura eſſem: Patrẽ verò virgini cõſultũ volentẽ,virginẽ acceſsiſſe,quę viſo illo, repẽtè priſtinę ſanitati ſit reſtituta: & hactenus, vti aiũt,patri deuotiſsima ea manſit, multáq; in illius miſsã ornamenta contulit. Sic ſuis roſariis & agnis Dei cereis multas virtutes, ἐνέργειας diuinas,& miraculorum vim tribuunt. Ieſuita Sõmerman retulit mihi, inquit Haſenmullerus, fuiſſe in Societate fratrẽ nomine Vitũ, qui Auguſta profectꝰ Ingolſtadiũ, in ſylua obuiã habuerit lupũ, ore aut rictu diſtento,illũ petẽtẽ. Mox

V.cui inſcripta ſunt hęc verba, *Qui in feſtis beatæ Mariæ Virginis coram hac imagine procidens ter dicit, Pater noſter & Aue Maria, &c. lucratur indulgentiam ad bis mille annos. Si quis quotidie devotus illam veneratur, lucratur* 12000. *annorum indulgentias,* Ieſuita *Peltanus* Auguſtæ mihi monſtrauit imaginem à Iulio III. benedictam. Hanc à patribus confeſſariis ſuper impoſitam feminis doloribus grauiſsimis in partu oppreſsis, continuò faciles partus operatam eſſe teſtabatur. Hinc etiam maximos quæſtus faciunt, & imaginum cultum ſtabiliunt.

Landſpergæ (oculatus teſtis hęc refero, inquit Idē Haſenmullerus) erat auriga, qui parochum accedens dixit, Aliquoties Satan me ad tuas vſque ianuas comitatus eſt: ſed neq; ipſe ingreditur, neq; me ingredi patitur. Cúmq; aliquandiu hac fraude vſus eſſet, atq; tandem deprehenſus eſſet in furto, dixit ſe à dæmonio agitatum hæc patraſſe, & inſaniam finxit. Ieſuitę vocati affirmant illum obſeſſum, & varios exorciſmos adhibent ſine profectu: & quò plura multiplicant crucis ſigna, eò maiorem ille finxit inſaniam. Tandem *Cruſius* rector Landſpergenſis, multis preculis & characteribus adhibitis à tergo agnum Dei cereum (vt iſti loquuntur) furi alligans, imperat dæmoni, vt in nomine B. Mariæ egrediatur. Dæmon reſpondit Cruſio (ipſo teſte, nemo enim alius hęc audiebat) *non egrediar, niſi hominem hunc veſtris interceſſionibus à fune liberaueritis.* Hoc autem omnes aſtantes furem dicere audiebant; *Citò ſanarer, ſi à patibuli pœna*

tutus eſſe poſſem. Poſtquam igitur Ieſuitæ polliciti eſſent, ſe ſuis intercesſionibus illum liberaturum, continuò conualuit, quietus ſedit, & riſit. Cùm verò magiſtratus ſecũdum iuris rigorem cum ipſo agere, illúmque ſupplicio afficere vellet: Ieſuitæ miſſo ad principem ſupplici libello, illum à reſte liberarunt. Qui liberatus ipſemet confeſſus eſt, ſe omnia iſta finxiſſe, tantùm quia liberationem Ieſuitæ ipſi promiſiſſent. At Ieſuitæ hoc pro miraculo in vulgus ſparſerunt, agni Dei imagunculam ceræ impreſſam mirè commendantes, illarúmq; ingentẽ vẽdẽtes copiam.

De iſto auriga Pater *Lutzius* paucis elapſis diebus poſt exhortationẽ habuit, diſſerẽs de virtutibus agni Dei, quo illum à Dæmonio (à quo tamen nunquã obſeſſus fuerat) liberatũ mentiebatur. Agnum verò iſtũ conducere aiebat ad liberationem ab omnibus malis, dare & conferre omnis generis bona: cõſeruare homines à tẽpeſtate maris, à fulmine, grãdine, noxiis vẽtis, pluuia, terrę motu, tonitru, peſte, morbo comitiali, morte improuiſa, igne, inſidiis inimicorũ, malorúmq; ſpirituũ, denique ab omnibus aliis periculis: afferre parturientibus lætũ partũ: addere vires animam agentibus contra Dæmones.

Eodẽ tempore, nẽpe anno 1584. menſe Ianuario bubulci filia grauiſsimè à Dæmonio exagitata ſeipſam aliquoties & ſuſpendere & trãsfodere conabatur. Pater filiam offert Ieſuitis, qui pro more ſuo dant illi imagines benedictas, ab illius collo ſuſpendunt S. Ioannis Euangelium, & agnos iſtos Dei cereos. Verùm illa hæc

omnia

omnia abiiciebat, dicens, Iſta ſunt mortua, res nihili, ſtultitiæ quæ me iuuare non poſſunt. Nec temerè hoc, diu enim Auguſtæ ſacris interfuerat concionibus, & eiuſmodi nugarum cognouerat falſitatem. Ieſuitæ verò pergebant exorcizationibus, ſed inutiliter. Cùm verò mulierculę quædã adſtantes dicerent, exorcizationes omittamus: illa n. neq; eas ſuſcipit, aut in eas credit: potiùs procidamus in genua, oremúſque Dominum Ieſum vt liberet eam. His auditis, puella dixit, *Ieſuitis dicite vt abeant, illi enim nõ me iuuant, ſed magis excruciant.* Puella ergo poſt dies non adeo multos piorum precibus liberata, catenis ſoluta, patrem & matrem relinquens, Auguſtam rediit, Euangelio credens, & Chriſtianæ fidei ſe totam addicens.

Fingunt etiã Ieſuitæ Loiolã patriarcham ſuũ multa Romæ miracula feciſſe immediatè, i. (vt ipſi interpretãtur) ſine vllis crucis ſignaculis, inſufflationibus, exorciſmis, characteribus, & obſcuris verbis. Aliquando femina obſeſſa à dæmone eum ſecuta eſt, clamans, Tu ſolus me liberare & iuuare potes. Tunc Ignatius conuerſus recitauit verſum ex 4. libro Æneidos Virgilianæ; *Speluncam Dido, dux & Troianus, eandem:* qua voce audita, Dæmõ mulierem proſtrauit, ac egrediens exclamauit, *O fili Loiola, tu ceu Leo me ad ſpeluncam inferni abire cogis. Sed, rogo te, ne me in æternam ſpeluncam iniicias.* Tunc Ignatius dixit, *Vade quocunq; volueris: modò nullum amplius, hominẽ obſideas.* Sicq; dæmoniũ magno cũ ſtrepitu egreſſus & femina liberata eſt, quę deinde per omnem ſuã vitã (vt dicebat *Turrianus*) Ignatio

Loiolæ fuit deuotiſsima.

Schrenkius retulit Haſenmullero ſe Romæ audiuiſſe à ſocietatis profeſsis, Ieſuitarũ ſociis Romæ ſeruum quendam Farneſij Cardinalis à Dæmone obſeſſum Monachis traditum eſſe vt ab iis liberaretur: qui fruſtra omnes omnia exorciſmorum genera adhibuerunt. Tandem igitur Patrem quendam Diabolo dixiſſe, *Quare non egrederis? Reſpondiſſe eum Nõ prius egrediar quàm poteſtate filij Loiolæ fuero eiectus.* Mox ergo Loiolam vocatum dixiſſe, *Non mihi ignotus eſt hic Dæmon: me, vt & vos, ridere præſumit, ſed decipietur.* Fratri ergo de ſuo Roſario dat granum ſeu globulum ligneum, olim à Pio V. conſecratũ, & dicit fratri, Tu à tergo hominẽ obſeſſum accede, & hoc grano ipſius tergum attinge, vocéque ſubmiſſa his verbis alloquere hominem: *Adiuro te in nomine B. Mariæ, & iuſſu Patris mei Loiolæ, & virtute huius grani benedicti, vt de hoc ſeruo exeas.* Vix adhibito ad oram veſtimenti grano Dæmon exclamauit, Quid me, Loiola, torques? Omnes circumſpexerunt, neque Loiolam viderunt. Admirantib. autem dęmon dixit, Granũ Loiolæ fortius, eſt omnib. veſtris exorcizationibus. Sic homo liberatus & ad ſocietatẽ conuerſus, Ieſuitas filios Dei eſſe pronuntiauit.

Abdias Babylonius, in hiſtoria S. Bartholemæi multa narrat de diabolo Indico Acharoto, qui adueniente Apoſtolo reſpõdere & ęgros ſanare deſiit: poſtquã verò Ieſuitę in Indiã irruperũt, Diabolꝰ ille rediit, & vt Ieſuitæ in ſuis epiſt. Indicis teſtãtur, ipſe filios ſuos vocat, illis reſpondet, & per illos miracula facit. Pater, *Ioannes* in dictum

Illud, *ſpectaculum facti ſumus*, &c.exhortationem habens,dicebat inter cætera,mihi credite, dæmones nos vbique ſequuntur. Viennæ fratrem ſine Rectoris voluntate egredientem ad prouincialem, comitatus eſt Dæmon,eúmque ceu inobedientē abripere voluit. Addidit,volebant ante 18.an.Monachi ad D.Vldaricum Auguſtę dæmonē eiicere,ille verò exire noluit,interrogatus cur differret reſpōdit,*Nō prius egrediar,quàm tres mei filij nigri, nēpe Ieſuitæ qui Dillinga huc proficiſcuntur,aduenerint.* Ad ingreſſum verò illorum Dæmon egreſſus eſt. Sic(vt alia diximus epiſtola)Viennenſium Ieſuitarum Rector ſcripſit Auguſtam,Viennæ puellam à Dæmone obſeſſam nullis exorciſmis liberari potuiſſe:tandem ad templum Ieſuitarum ductam, liberatam & de illa fuiſſe eiectos 12652. Diabolos.Subiicit,multos dixiſſe, *nunquam eſſemus egreſſi,niſi huc ducti fuiſſemus.* Item:*vltimus* (inquiebat Ieſuita)*videtur mihi fuiſſe Lutheri præceptor, quia more Lutheranorum multa dixit contra noſtram ſocietatem & religionem*,Hanc epiſtolam ſe legiſſe & in linguam Germanicam conuertiſſe refert Haſenmullerus.

Pater quoq; Lutzius ea lecta pro concione dixit Landſpergenſes, En videtis noſtræ religionis veritatis,aduerſariæ verò falſitatē.Noſtri etenim nuper Viennæ de vna virgine aliquot millia Dæmoniorum eiecerunt. Noſtri etiam multa hinc inde miracula operantur, quæ aduerſarij edere non poſſunt. Falſa igitur eſt illorum religio. Nos facimus miracula, & iis noſtram religionem confirmare poſſumus. Ad-

fuiſſent corruerunt, diffugerunt, Cæſarē appellarunt, & Lutheranos (vt vocant) quaſi ſeditionis authores damnatos voluerunt.

Vnicū addā miraculum quod Caniſium famoſum Ieſuitam quidā cognomine Iſengrinius, in libro ſuo de Maria Ottingenſi feciſſe refert. *Caniſius* conſumpto triduo ſanctos inuocādo, miſſificādo, &c. effecit tandē vt Maria virgo puellæ obſeſſę (quę fuit fabulę argumentum) appareret. Ibi malè habuiſſe Satanam narrat Iſengrinius, quòd Maria virgo adoraretur. Ieſuita miraculū adornās, non iubet Dæmonē egredi in nomine Chriſti, ſed noua formula vtitur: adiurat enim dæmonē in nomine Mariæ. Quod audiens Dæmon ita obſtupuit, vt nouum etymon nominis Caniſij depromeret, vocans eum Canum excoriatorem. Fit inde Caniſio Dæmon ille adeo familiaris, vt eidem egreſſus ſui tempus prędiceret: nimirum vbi vigintiquatuor vicib' puellam afflixiſſet: ſepties propter patrem & matrem: ſepties propter ipſorū ſuperiores: quinquies propter Fuggerorum familiam: & quinquies ad explendam ſui ipſius libidinem. Sed Caniſius hāc libidinem facilè ei excuſsit. Nam allato trunco ſtatuæ Marianæ in veteri Ottinga & à tergo capiti puellæ obſeſſæ impoſito: illico Satan exclamauit, *Dimitte me, impura, vt quid me tam virulēter calcas?* Horrens refero verba impuri nebulonis Iſengrinij, qui impuriſsima protulit, vt Iudaicicā ſectā quoquomodo promoueret. Redeo ad Caniſium, qui Satanam coegit ad palinodiam, ita vt vice verſa, laudes virginis decan-

taret, ſepties terram oſculatus: pręterea (nouas res) Mariam vt Deum adorauit, quinquies orationem dominicam totiéſque angelicam recitauit ſalutationem. Quinimo pro catholicis Romanis interceſſor factus eſt apud Mariam dicens. *Aue Maria gratia plena: gratia & miſericordia tua ſit cum omnibus in hoc templo verſantibus, ora Deum pro ipſis.* Item concionator factus dixit, *En Chriſtiani, nos diaboli cogimur obedire Mariæ & vos ipſi obedientiam negabitis?* Tandem egredi coactus exclamauit. *Væ, væ, væ, mihi miſero intra viginti annorum ſpacium nullus dæmoniorum tantis tormentis ſubiectus fuit, quantis ego.* In poſterum miſer caue tibi à Ieſuitis, ni grauius velis vapulari. Et hæc quidem de nouæ ſectæ miraculis dicta ſunto. Vale.

EPISTOLA. VII.

De morte Ieſuitarum.

PRioribus epiſtolis pauca quędam addere libet Ch. frater, de Ieſuitarum exceſſu, ab Haſenmullero literis cõſignata. Hunc enim nouæ ſectæ diſcipulum, magiſtris frendentibus, loquentem inducere, & audire pręſtat, quam aliorum rumores non ita certos deſcribere. Sic ille igitur. Ignatium Loiolam primum ſocietatis authorem, ipſius vitæ ſcriptor (nempe Maffæius, lib. 2. cap. 23.) placide defunctum refert. Sed *Turrianus*, Ieſuita mihi notiſsimus ſępe duxit illum in cœna, prandio, miſſa, in recreationibus etiam ita à Dæmonibus exagitatum, vt magna copia frigidiſsimum mortis ſudorem fuderit *Bobadilla* fatebatur Loyolã ſæpius conqueſtum

queſtum ſe nunquam & nullibi à Dæmonibus eſſe poſſe tutum. *Octauianus* Ieſuita, Romæ miniſter, ſeu Nouitiorum œconomus retulit mihi dicens, Sanctus erat pater noſter Ignatius: ſed circa agonem ita premebat, quaſi febri eſſet correptus, & ſuſpirans dixit. Multa bona contuli in Eccleſiam Romanam: multas noſtrorum prouincias, multa collegia, domus reſidentias & opes noſtræ ſocietatis vidi: ſed hæc omnia me deſerunt, & quò me vertam neſcio. *Turrianus* dixit, ipſius comitem aſsiduum vſque ad Miſſæ aram fuiſſe dæmonem: tandem verò cum tremore ipſum obiiſſe: mortuúmque nigerrimo vultu fuiſſe conſpectum idem affirmauit. Cùm ipſius corpus ad templum, quod Cardinalis Farneſius extruxit, transferre vellent, teſtibus omnibus Ieſuitarum profeſsis, ipſius cadaueris oſſa non ſunt inuenta fingentibus ipſis ea eſſe per Angelos forſan tranſlata.

Franciſcus Xauerius, nouus Apoſtolus Ieſuiticus apud Indos, ſi Commentario de rebus Indicis fides addatur, grauiſsima oppreſſus febri intra paucos dies extinctus eſt in monte cuiuſdam inſulę deſerto (alij dicunt in caſa Straminea, non longe à litore maris) ſumma rerum inopia, virginem Mariam Chriſto ſociam in agone adiungens.

Franciſcus Turrianus mihi aliquoties Romę (inquit Haſenmullerus) quum apud S. Andream, tum in domo Ieſuitarum profeſſa conqueſtus eſt, ſe aſsiduè ſpectris terreri nocturnis & diurnis. Vtinā inquit Auguſtanam con-

feſsionem, contra quam ſcripſi, & libros Antonij Sadeelis, mei Antagoniſtæ, nunquam legiſſem! Illi me ita dubium effecerũt (quod tamen tibi amico meo ſub roſa dictum velim) vt neque prorſus Lutheranis aſſenſum prębere, neq; omnino à noſtris diſcedere poſsim. Et quid faciam? non eſt qui me iuuet. Quúmque eum ex verbo Dei conſolarer, ait: Vera ſunt quæ dicis: ſed ego ſenex hinc exire non poſſum, ſic miſer in dubitationibus periit.

Anno 1583. Landſpergæ Ieſuita quidam Ioannes nomine, qui veritatem euangelij agnitam reliquerat, miſerabiliter planè vitam cum morte commutauit. Nam quod vidi & audiui (inquit Haſenmullerus) nullam prorſus conſolationẽ voluit admittere. Afferebant Ieſuitæ ad ipſum agnos ſuos orbiculares, roſaria, grana, imagines ligneas cruces, ſigna benedicta, hoſtiam conſecratam, ciborium, ſeu penu ex quo hoſtia conſecrata depromitur: promittebant illi preces, roſaria, miſſas, ſuffragia, hortabantur illum, vt confideret fratrum & omnium ſanctorum meritis: verùm planè inania fundebant verba. Ille enim viciſsim dicebat *Remouete hæc omnia. Nam propterea quod his credidi iam damnabor.* Dicebam ego ipſi: crede in Ieſum Chriſtum, Reſpondit miſer, *In hunc credidi, ſed turpiter illum negaui. Mihi ex Ieſu factus eſt damnanator. Non poſſum ſalutem conſequi.* Et Petro Hiſpano dixit. *Quæſo aut me interficias, aut da mihi cultrum vt meipſum transfodiam, nam totus flammis infernalibus ardeo.* Quæ audientes Ieſuitæ ob

ocluos

oculos illi ponebant crucis ſignum,& herbas benedictas corpori admouebant. Ille verò ait: *Remouete iſta,quibus oleum igni additis, nihil præterquam dæmones meam animam vnguibus apertis expectantes video: Illis iam ſum traditus. Nam Deum & verba eius abnegaui.* Quæ percipientes Ieſuitę: fratres ne offenderentur, diſcedere iubent ſicq; iſte miſerè in deſperatione obiit. Noctu paratũ eſt ipſi ſepulchrum. Cúmque mane Sacriſtanus aquam benedictam, priuſquam corpus humaretur, foueæ infundere vellet, niger canis de ea proſiliit: quo viſo, Sacriſtanus aufugit territus, reliquis annuncians ſe vidiſse dæmonem. Cui Ieſuitæ aiebant, *ſi illum aqua luſtrali aſperſiſſes te terrere non potuiſſet.* Ille verò reſpondit: *omnem etiam aquam in ſepulchrum effudi, nihilominus me terruit.*

De aliorum Ieſuitarum horrendo exceſſu alij hiſtorias, proximo ſeculo conſcribẽt. Habes ch. frater ſpecimen aliquod ſanctitatis Ieſuiticę. Qui legit vtinam intelligat: & Ieſuitæ ipſi vtinam tandem reſipiſcant, & ad Chriſtum reuertantur, vt ſit illis (quemadmodum optamus & humili corde petimus à Deo) verè Ieſus nẽpe vnicus ſeruator & Mediator. Huic cum Patre & Spiritu ſancto ſit honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

FINIS.

Fœdiſsimi Sathanæ excrementi, id eſt, nouę illius ſeſquimonachorum ſectæ auctore IGNATIO MARRANO, ſacroſãctum Ieſu nomen, abdicato Chriſtianorum cognomento, ementitæ, vera φύσεις.

CHriſtus homo, Ieſúsque Deus, ſunt vnus & idem,
Vna ſuum agnoſcit quem ſacra turba caput.
Non tamen ex Ieſu, ſed Chriſti ex nomine ductum,
Sanctorum cœtus nobile nomen habet.
Quâ Deus eſt etenim & ſolus Seruator Ieſus,
Hoc ſoli nomen vindicet ipſe ſibi:
Sed quâ Chriſtus homo eſt, tot eo cognomine fratres
Dignatur toto ſunt quot in orbe pij.
Diſce igitur, Lector, quánam ratio rceneter,
Iſta ſit ex Ieſu nomen adepta cohors,
Horribiles furias ex imo iuſſerat Orco:
In mundum acciri vindicis ira Dei:
Quas Erebo emittens, procul ab Ieſu ite, ſceleſtæ,
Dixerat inclamans térque quatérque Sathan.
Quum pater illarum accurrens Ignatius ille
Ate cui admixto nomen ab igne dedit,
Accipio omen ait, procul ab Ieſu ite, propago
Digna patre, ab Ieſu vos procul ite meæ.
AB IESV ITE de hinc hominũ volitãte per ora,
Hinc factum vt nomen duxerit iſta cohors.
Et certè falſorum inter tanta agmina fratrum,
Tam procul ab Ieſu non ijt vlla corhors,

LAVS DEO.